



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christophori Longolii Lvcvbrationes

Longolius, Christophorus

Lvgdvni, 1542

Christophori Longolii Epistolarvm Liber I. Christ. Long. P. Bembo S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](#)

CHRISTO-
PHORI LONGOLII
EPISTOLARVM
LIBER I.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.



I QVID hic esset quod te scire oportere existimarem, scriberē id ad te cum libenter, tum pluribus etiam uerbis diligenter. Nunc omnino eiusmodi res nostræ sunt, ut quid tibi literis meis significē, plane non habeam. Nisi illud fortasse scire uis, me ad hanc diem tuas ad tuos literas expectasse, ut Patauium proficiscens, aliquod scribendi argumentum inde colligerem. Scripturus eras tu quidem Pisauro, sed nihil adhuc illinc. Suspiciabantur tui cum has exararem: te iam Florentiam, si quidem Pisauro eò rectā profectus es, uenisse. Ego autem has tibi Romæ redditum iri: ubi uelim negotia nostra ita cures, ut & ego semper sperauī, & tu te facturum mihi recipisti. Illud uero an epistola magnopere dignum sit, haud equidem scio, non mihi tam prætereundum existimauī: ut cognoscas quo par sit animo, tuos absentiam tuam tulisse, cum uel bestias di- scessum tuum luxisse uideamus. Scito Bembinum delicias tuas desiderio tui penè extinctum esse: certe dolorem quē ex absentia tua cōtraxerat, nobis & bidui inedia, & perpetuo ululatu discursuq; testatus est. Nūc etsi ad cibū, nō dū tamē ad pristinā illam suā alacritatē redijt, mœstus semper, et ad cōrectationes blāditiasq; nostras subringēs. Tu

m ↗ cur

cura ut ualeas. id enim & nos facimus : ac simul operam
dabimus, ut ne frustra cōsuetudine, conuictu, consilijs tuis
usi unquam uideri possimus. Saluta mihi cōmunes amicos:
simul & illud quidnam sit fac intelligam, quod me nōnul
li comuniscuntur de ingenij Romanorum interrogatum,
respōdisse. Non crepare mōtes. Ego enim cum id nunquā
dixi, tum uero cuiusmodi sit intelligere nō possum. Vale.
Venetijs proficisciens, x i i i. Calend. Maij.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Literas quas ad me Florentia quinto Calend. Maij de=
disti, accepi ad nonum Calend. Iu. perbreucis quidem
illas, sed mihi sanè longe gratissimas : ut cui nihil optatius
esset, quam de te, ex te ipso aliquid tandem audire. Nam
postquam Venetijs profectus eras, nihil neq; à te neq; de
te in eum diem, ad me quidē perlatum fuerat: neq; uero po
teram tibi à nauigationis itinerūq; difficultatibus nō ma
gnopere timere, qui te cum tuapte natura haud ita firmū,
tum ex ueteri illo & difficilimo morbo nondum plane cō
firmatum, in uiam dedisses. Leuasti itaq; tu me magna so
licitudine: liberauit autem plane nuper frater tuus, qui te
pridie Non. Mai. Romam saluum in columemq; uenisse af
firmaret, quo plane nūtio tanta sum lētitia affectus, quan
ta par est eum qui te cū nascentis laudis suae fautorē agno
scit, tum speratē dignitatis autorem fore cōfidit. Profecto
nisi me fidelissimis atq; amantissimis consilijs tuis iuuisses
(ut cætera disimulentur, quæ & maxima & innumerabi
lia sunt, tua erga me merita) non modo is adhuc ejsem, qui
anno superiore eram, hoc est uiae qua ad bene dicendi fa
cultatem iter est, omnino ignarus, sed ne sperare quidē ul
lum mihi studiorum meorum fructum unquam licuisset.
Quod eō quidē pertinet, ut intelligas quam mihi salus tua
curæ

curae uel sit, uel esse debeat: si modo is ego sum, ut plane
sum, qui officium meum, memoremq; erga benemeritos a=
nimū libenter præstare soleam. Bolducus hic aliquot dies
nobiscum fuit: nobiscum inquam, quod domum nostrā fa=
miliariter uentitarit, horasq; multas suauissimo sermone
nobiscum consumere sit solitus. Is cum me sæpe inuitatū,
ad cœnam aliquando tandem perduxisset, lauteq; ac splen-
dide accepisset: ad extremum à me etiam contendit, ut opi-
bus suis perinde atq; tuis uterer. quod quidem utrum ille
sua sponte, an commendatione tua adductus fecerit, haud
equidem scio. Vt rōcunque modo, siue etiam utraq; de cau-
sa id fecerit, uelim per literas tuas intelligat, cum humani-
tatem, studium, officiumq; illud suum mihi fuisse gratissi-
mum, tum uero me sibi nurificas apud te gratias egisse. Pa-
ri liberalitate nobis & animum & domum suam patefec-
cit Nauagerius noster: qui nos hic etiam Calend. Maij ui-
sit, atque ut te suis uerbis salutarem, magnopere rogauit.
Prosequebatur Lud. Foscarum Vincentiam, eodem itine-
re Veronam profecturus: atque si res ferret, illic cum Tur-
rianis fratribus & statem consumpturus. Ego uero cum ad
Id. Maij Venetias nauigasse, et si Octauiani Grimoaldi
hospitio sum usus, sui tamen domu tuæ, atque apud te esse
ut uolumus, id est, rectissime, omnia cognoui. de quo, et si
tuorum literis multorumq; nuntijs crebro sis certior, pu-
taui tamen mearum esse partium ea de re aliquid ad te scri-
berc. Dedi ad te epistolam Venetijs proficisciens, sub id-
fere tempus cum tu Florentiam aut iam aduentaras, aut
certe appropinquabas: ea tibi redditia fuerit nec ne, si ad-
scripseris, gratissimum mihi quidem feceris. Nos hic in-
tere dabimus operam, ut quam de nobis prædicatione
tua concitasti expectationem, hanc sustinere ac tueri ali-

m 5 quan

quando possumus. Vale. Patauij, 1111; Calend. Iunij.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Per paucis diebus ad eas quas tu ad me Florentia lites
ras dedisti, rescripsoram, cum mihi alterae abs te Ro-
ma sunt redditae: in quibus me illa mirifice delectarūt, cum
quae in eandem quidem cum superioribus rationē, sed mul-
to mehercule subtilius luculentiusq; scripta erant, tū quae
de amica Pont. Maximi erga me uoluntate significabas.
Illud uero mihi tam gratum fuit quam nūnime expectātū,
quod eum meis uerbis ueneratus essem. Nam cum ad ipsum
nihil omnino literarum dare sim ausus, ne summas eius oc-
cupationes interpellarem, cuprem autem me illi & gra-
tum & memorem probare, nec qua id ratione assequerer
mihi in mentem uenisset: reperiisti tu uiam, imo uero confe-
cisti ipse per te ex sententia mea negotium, cum nihil faci-
le minus sperarem, aut omnino iam cogitarem. Sed hoc pla-
ne tuum est mi Bembe, non ita denique amicorum rationi-
bus consulere si admoneare, sed omnes eorum cogitatio-
nes officijs tuis præuenire atque superare. Nam ut etiam
pecunia ex Principis fisco mihi prærogaretur, curasti:
quod quidem ipsum sanè sum admiratus, neque tamen ex
ea quam tu fortasse suspicaris, parte, quod nihil huiusmodi
postularam, etiam speraram: sed quia non horum est ne-
que temporum neque morum, & alienum ad diem dissol-
uere, nedum gratuitam pensionum pecuniam præsentare.
Pari te diligentia in ijs usurum esse confido, que tibi de
me cum Ioan. Pino Regis Franci legato sunt communi-
canda. Aderit ipse ultro: ita enim pollicitus est. Incubite
(quæso) in eam rem, atque inter uos commentemini, qua
ratione fortunam nostram subleuare, & pontificijs me be-
neficijs ornare possitis. Ego enim ab omni alia cogitatio-
ne auer-

ne auersus, curas, studia, sensus denique omnes meos, ad excolendum ijs literis animum te autore traduxi: in quibus si quicquam profecero, potero tua quidem sententia, amicorum meorum non sustinere modo gratiam ac tueri officia, uerum etiam remunerare atq; illustrare beneficia: ut ego uero suspicor mihi desperandum non erit, quin eis tam magno sim aliquādo ornamēto, quam ipsi mihi præsidio extiterint. Aduentu tuo refrigeratos esse iniquos leuis simorum hominum de me sermones ex literis M. Antonij Michaëlis nuper intellexeram: ex tuis hoc amplius cognoui, cuiusmodi id tandem esset, quod in me contulissent. Res plane ridicula: sed meo tamen nescio quo fato, ex istiusmodi nugis tragœdiæ nobis istic quotidie excitantur. At qui non tam sum miratus homines sui simulimos ista aduersum me communisci, quam uiros quosdam plurimis atque optimis artibus ornatos huiusmodi rumoribus commoueri atque in me etiam incitari. Sedasti tu quidem hosce rumores tuo aduentu. sed quid mi Bembe, si tu aut Romam omnino nō uenisses, aut mihi parum amicus essem? Iterum, opinor, in inuidiā crimenq; absens uocarer, uel indicta potius causa innocens damnarer. Scis enim quod etiam apud te frequenter sum questus, fortunam cum natura mea pugnare, huiusmodi ratione fieri, ne mihi quicquam assumā, quod iure possit, nō dico boni, sed omnino malevolentissimi cuiusquā animū offendere. Illius iniquitate mihi usu uenire, ut uitæ meæ cursus, aut potius hic noster secessus, quālibet obscurus, minime certe inuidiosus, maleuolorum obtrectationibus facile pateat. Si Italos odisssem, nūquā profecto relictæ domo, patria, breuiter meis omnibus reclamantibus hic properasssem, ut cū talis in Italia uiuerē. Si de Ro. ma le sentirē, ciuis Rom. neq; esse neq; numerari sanè uellem.

Ver

Verum quoniam de his cum eodem Michaële, eo consilio nuper pluribus egi, ut eos meis uerbis doceret atq; cōmo= nefaceret, ne sibi quicquam de me temere persuaderi sine= rent: supersedeo ea ad te scribere, quæ mihi nunc in mente ueniūt: ueniant autem mihi crede, quamplurima: sed nolo tibi molestus esse. Tātum te rogo, ut tuam in me defenden do cōsuetudinem mihi præstes: & istorū criminibus, quod te facturū ostendis facisq; resistas. Quod de P. Paccio scri bis, id huiusmodi est, ut ea quidē uir ille nostri amātissimus dixerit, quæ & ipse fortasse cupiat, & ex re mea fore exi= stimet, nō autem quid ego statutum habeam. Statui autem (quod quidē inter nos liceat dicere) nisi quid aliud acci= dat, hoc ipso, cuius mihi potestatem Pont. Maximus libera litate sua facit, ocio perfui: idq; uel ut tibi morem gerā, qui hoc nostrū institutū mihi probare semper es uisus, uel quia ipse ego huius consilij maiore in dies singulos, nescio an fructum, uoluptatem certe percipio. Hinc porro in eum sermonem Pacciū uenisse opinor, quod Mariano Castella no, ut Florentinorum cōditiones acciperem, à me uehemē ter etiam atq; etiam petenti, per literas respōderim, nihil me tāta de re prius esse cōstituturū, quām affineis meos cō= suluissem: ijs autem rem aut non probātibus, aut etiam ex= trahentibus, me meo consilio esse usurū, atq; in amicorū, quos mihi in Italia cōparassem, potestate futurū. Fac(ama bo te) legas quam in hāc sententiam ad Marianū episto= lam scripsi. nam ad Paccium ea de re ne uerbum quidem, quando nec ipse ad me quicquam. Videbis me eo commen= to uisum, ut si præcise et sine ulla exceptione quod petebā tur negasset, ne illi me aut superbū, aut insanū suspi= carentur, qui tanta, eaq; amicorū opera mihi confecta com= moda præmiaq; insolenter repudiare. Ad collegā tuum o= mnino

mnino scripsisse, nisi constans fama iam multos dies hic percrebruisset, eū simul atq; tu Romā uenisses, in prouinciam suam esse profectū, cuius rei (si tibi nō est molestum) uelim me facias certiorem. Vale. Patauij, 1111. Id. Iun.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Epistolæ argumentum ad te nullum prorsus haberem, nisi id mihi Flavius noster suis ad me literis præbuisset. Ad hunc enim cū mihi omnino literæ dādæ essent, quæ quidem nisi per te commode ei reddi non possunt: esset cit sanè, ut ad te etiam eo nomine scriberem. Leue (inquieres) argumentum. At quod ad te scribam aliud plane non habeo: nisi tu fortasse illud scire uis, ut certe uis, quo modo hic æstatē traducamus. Traducimus autē, mihi crede, summa cum uoluptate. Diem enim ita consumo, ut matutinas horas Latinis lectiunculis tribuam, prandium trigonali pila condiam: non quo nostræ eiusmodi sint mensæ, ut hoc condimenti genere magnopere indigeant: nec enim multum uel splendore uel lauitia uestris cedunt: sed ita ualetu dini nostræ libenter consulimus. A cibo tempus uarijs sermonibus ducitur: postea dum se calor frangat, leuiter meridiandum. quietem Græcæ, & interiores literæ excipiunt. Sub has eadem pila in cœnam exrcemur, sed meo sanè arbitratu, id est, usq; ad ruborē, citra sudorē. Reliquas diei partes uespertinæ ambulatiūculæ, eæq; aut propter aquarū decursus aliquos, aut spatiosis in campis lentæ sibi uen dicant. Quod si quando maiore æstus uiurgemur, admīssis equis concursantes urbem obimus. Simulac me in cubiculum abdidi, reputo statim mecum, quid eo die memoria, quid scientia comprehendenterim. Noctem à prima statim uigilia somno damus: cum sole ad easdem uices sacris operati redimus. Quid queris? Vtor litcris, quantum semper optauit:

optauit fruor ocio, quātum nūquam sperauit. An uero tātē
 felicitatis fructus mihi cōstet, ni forte tam felix ocium ocij
 est fructus uberrimus. Senties aliquādo fortasse tu, quē mihi
fortuna dedit studiorū meorum adiutorē, tanti ocij auto-
rem, multarū & clariſſimarū amicitiarū conciliatorē, de-
niq; non inimicorū modo meorum ultorē, sed etiam obtre-
ctatorum vindicē. ut alteros tandem stultiæ suæ puderet,
intēperantie suæ alteros pœniteret. Lasciuie nimis. At cer-
te aliter gaudium meū gaudere non possis, nec ego tibi la-
sciuiētis ocij specimē præbere. Quòd si tu, ne hae quidē in
ratione, exultans dicendi genus admittis: ecce ad illud ue-
strum me cōfero. Velle de me ad Marinū Georgium dili-
gentiſſime scriberes, hoc est, me de meliore nota ei cōmen-
dares. Nec enim nescis, cū quanta hic in solitudine uerter-
qui cū pedem domo extuli, quem de facie, aut oīno nomine
norim, offendō neminē: tum quām mihi propemodum opus
sit, non modo expedit, ut in alicuius principis autoritatis
uiri uel fide uel amicitia esse existimer. Quāquam enim, ut
dixi, à domesticis nemo plane est quē ego hic cognitum ha-
beam, eorū tamē qui studiosi numerātur, nemo ferc est qui
me nō norit. Certe uix unquam prodeo, quin his mihi uo-
cibus paſſim aures personēt, Hiccine Gallus ille, qui in Ital-
iam: qui Romæ: quē Pop. Rom. nosti cætera. Diſiparūt
enim egregij nostri illi ciues, me ideo Patauij esse, quòd mi-
hi Romæ tutō esse nō liccat. Eo sanè fit, ut in tanta gladio-
rum licētia mihi interdū timeam, præsertim cū aduersus ho-
minē Gallum, nō minor solum sit facinoris uerecundia, sed
in mea iniuria popularis etiā quædā laus proposita esse ui-
deatur. E quidē cū hæc mihi in mētem ueniūt, euolare hinc
nō unquam cupio, atq; Lerinā cogito, ubi sicariorū neq;
facta uideam, neq; nomen audiam: non qui salutem literis
unq

unquam sim dicturus (ingrauescit enim in dies studiū) sed
ut illic ocio nō tantum honesto & magno, uerum etiam tu=
to perfrui nobis liceat. Est mihi quidē Marinus Georgius
Venetijs proficisci t̄ & studium & autoritatē suam polli=
citus: uerum rusticō nescio quo pudore deterritus, nōdum
animum inducere potui, ut me ei offerrem. Itaq; mihi gra=
tiissimum feceris: difficile est loqui, et scis quid uelim: sed di=
catur sanè. Vellem is me sua quasi sponte accerseret, atque
omnem in partē tuendum susciperet. Quod quidē ille unus
omnium maxime potest, uel iure & potestate, quā hic ha=br
bet maximam: uel consilio & autoritate, qua ubiq; ualet
plurimū. Collega tuus istic adhuc sit, an uero (quod qui=dem audio) in prouinciam suam profectus, nōdum me cer=ti=orem fecisti: cum id tamen ut faceres, à te superioribus li=teris petierim, & me scire, mea plurimum intersit. Non
enim ignoras, & quanti hominem faciam, & quām de me
idem me sit meritus. Vereor quidē ne à me literarum offi=ciū
requirat: quod quidem ille pro multis suis in nos be=n=eficijs, studiorumq; & causæ coiunctione desiderare nō
debet. An idem tibi in rationibus nostris cum Ioan. Pino
Regis Franci legato cōpletendus sit, tui est consiliij. Egō
enim et si eum omnia mea causa & uelle & cupere explo=ratum
habeo, quid tamen hac in re ualeat, nescio. Sed
nec certe quid uos in eo genere præstare possitis, ipse satis
intelligo earum rerum iam plane rudis, & in huiusmodi
actionum usu minus quām nūc quidem uelim, olim uersa=tus. Itaque quid efficere possitis, uestrum est statuere: Meū
quodcunque mea interesse duxeritis, uos ualde rogare:
tametsi id forte nec humanitas tua expectat, nec faci=le amicitia nostra patitur. simul enim atque me in fi=dem amicitiam que tuam contuli, me non tuendum modo,

scd

sed augendum etiam atq; ornādum suscepisti. Atqui illud etiam atq; etiam uidete, ne cum Principem habeatis cū omnium liberalissimum, tum uobis amicissimum, tum eum etiam qui me beneficijs suis ornatū uelit, ipsi uos mihi defuisse uideamini. Extremum illud est, ut omnium quas ad te dedi, epistolarum exēpla mihi cures. Rides? Atqui tam ambitiosus non sum, ut eas in honorem adducere, aut uolumina referre uelim: sed mehercule scire cupio, cū quid adhuc ad te scripsi, tum ecquid meas ad te literas omneis acceperis. Scripsi autem penè semper non tam quicquid in mentem, quam quicquid in buccam uenisset. Quod quidē ipsum usū mihi etiam nunc uenit; nam cum initio nihil omnino haberem quod ad te scriberem, dum tecum libenter quasi collo quor, iustum penè uolumen meorum ad te sermonum conscripsi. Vale. Patauij, Pridie Id. Iul.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Gratissimæ mihi fuerunt tuæ literæ, quas Patauij paucorum dierum interuallo accepi eodem exemplo bis. Vidi enim quantopere laborares, ut epistolæ ad nos perferrentur tuæ, nisi me fortasse schedula illa tua adductū esse putas ut credam, eo te consilio usum, quòd superiorum genus tibi nō satis probaretur. Mihi uero ita placuerant, ut ex posterioribus nihil nouæ uoluptatis perciperem, nisi quòd me quasi repetita ipsarum lectio haud mediocri uoluptate afficiebat: sed hanc ex cæteris quoque tuis literis communiter capio. Omnes enim per ocium accuratius relegere soleo, ductus nimirum incredibili quadam earum suauitate atque elegantia: quibus quam me afficias non dici potest, Nam quòd studiorum meorum rationes ita probas, ut nos etiam de ijs uehementer laudare uidearis, agnosco humanitatem tuam. Ego enim, quod ad te

te proxime quoq; scripsi, ne fundamenta quidem tanti ope-
ris mihi adhuc iecisse uideor: nedū in absoluenda adornan-
daq; superficie occupatus adhuc non sum. quāquam in eo
potius labore, ut ueteris eloquentiæ speciem aliquam aut
colorem, scriptis nostris illinam, quām ut neruos eius ac
uires in lucem reuocem, præsertim hoc tēpore, nulla Rep.
Sublato prorsus Latine loquendi usu. De aduētu tuo quod
scribis, est ille quidem in expectatione hic maxima, neque
mihi sane non gratissimus futurus: ut qui me sperem te ad-
iutore id posse consequi, quod te autore uelle cœpi. Sed ui-
de per fortunas, num quid prius quām istinc te commo-
ueas, de nobis confici possit. Nam cum profectiōne tua o=
mnem spem meam debilitari, uel potius concidere uideo:
nisi quid in Io. Pino & collegatuo præsidij fore speras,
quod ego plane desperauī. nam ad alterum ea de re nun=
quam ne uerbum quidem: alter quām parum efficax sit, ui-
des. Quòd mihi de Nicolai Leonici familiaritate gratula=
ris, potes id tu quidem iure optimo, quippe qui suauissima
hominis doctissimi, & mehercule optimi cōsuetudine per=
fruar. Is tibi salutem per me referri uoluit plurimam. Tu
contrā uelim meis uerbis saluere iubeas Alexandrum Ca=
pellam: quem non modo ex tuis literis, uerum etiam ex
Leonici nostri collocutionibus cum nostri esse studiosum
cognoui, tum etiam uirum bonum & eruditum, & multo
tractandæ Reip. usu Senatui Veneto apprime gratū, atq;
hoc ipsum à me tibi scriptum esse, in sermone, si quando
res feret, ei significabis. Quid etiam? Quid: apud te est ut
uolumus, & migrationem hanc tibi tuisq; bene & felici=
ter eueniire optamus. Erogauit Flavius noster in puerum
meum octingentos, puto, sestertios nummos: eos si à te
petierit, cures ci quām primum meo nomine. Nec enim

n

ignoras

*ignoras unde eos ad Calend. Mai. possis auferre. Vale.
Venetijs, Calend. Apr.*

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Per gratū mihi fecisti, quod puerum meū uiatico pro-
secutus es: neq; id uero ipsum tam pueri causa, quem
plane perditū uideo, & istic adhuc esse audio, ad me qui-
dem nondum uenit: quām quod in eo quanti me faceres, re-
ostendisti. Verum ne impensam cum opera perdidisse ri-
deamus: age, amabo te, cū Fr. Beraldo, ut pecuniam, qua
puerum ab eo spoliatū scribis, tibi restituat. Sin crit in eo
durior, scis unde tibi ad Cal. Maias octingentos festertios
nummos auferre possis. Tum enim decretæ nobis à Pont.
Maximo in annū sumptū pecuniae dies cedit, in qua exi-
gēda, quod adhuc fecisti, uelim mihi operam naues tuam.
Quod si longius tibi interuallum uidebitur, interim per
me quidē uersuram facias licet: nisi quis modo istic est, ut
certe Bembus noster est, à quo mea fide gratuito possis su-
mere: numeraturū confido, spero quidem certe. Extremū
illud est, ut has literas non epistolæ, sed nominis cautio-
nisq; uim habere existimes. Nam quo sit erga nos ani-
mo puer, non ualde laboro. Multū quidē in eo tuendo di-
ligentiæ positum uolui, non quo is de me ita esset meritus
(scis enim in istam uel ætatem uel fortunā nihil huiusmodi
cadere) sed ne cum à Io. Pino, cui illum diligentissime co-
mendatum tradideram, me insciente discessisset, perditissi-
morum hominum consuetudine exceptus istic corrumpa-
tur. Id enim ad fidē existimationemq; meā pertinere sum
arbitratus. Sed quādo officio nostro perfuncti sumus, ope-
raq; à nobis ut ne quid ei deesset, data est: ab ijciamus iam
omnem de eo curam atq; solicitudinem: quicquid peccauit
sibi peccarit: me quidē neq; laudatore, neq; adiutore post-
hac utetur. Vale. Venetijs, Cal. Apr.

CHRISTOPHORVS LONGOLIVS
HIERONYMO FVNDVLO S.

Legei epistolam tuam stomachi & querelarum plenam,
Lin qua multis mecum uerbis expostulas, quod ita cessa=
tionem meam pusilla quadam epistola apud te purgarim,
ut scriptorum tuorum rationi interea non pepercero. In
extremo autem me ad literas reijcis, iubesque ut pro inge=
nio meo iudicē, ecquid in illas praeter inaneis uoces & ie=
iuna quedam uerba conieciſſes. Ego uero mihi Fundule, ni=
hil unquam huiusmodi me neque ad te scribere, neque in epi=
stolis tuis notare memini: genus earum semper probauit,
pure enim loquebatur, officij, diligentiae, humanitatis ple=
næ. ut mihi nunc quidem mirum sit, tibi homini non incepto
in metem uenisse suspicari, iccirco me tibi rarius scribere,
quod literas tuas quibus respondeam indignas existimem.
Ipse de te quam tu bene sentias, nescio: me quidem parum
nosti, qui te a me contemptum putas. At enim dixi, literas
tuas nullam mihi scribendi materiam attulisse. hoc ipsum
illud est scilicet, quod tibi stomachum fecit, quod tantum bi=
lis commouit. Evidem cum ad singulas tuas epistolas cu=
perem, sed uel necesse non esset, uel quid responderem non
satis occurreret, desideravi nonnunquam in eis pleniorem
rescribendi sententiam: sed quae tandem tua in eo culpa
non ulla profecto magis quam mea, qui me argumenti pe=
nuria excusarim, praesertim cum tu me negligentiae tam
grauer accusares. Non audeo equidem tibi homini occu=
patissimo oneris quicquam imponere: sed si quid pusillæ illi
meæ & ueteri epistolæ commisi, diligentius attendes, ui=
debis nihil cause fuisse, cur tu uerba mea durius quam
uel animi mei simplicitas, uel naturæ tuæ moderatio po=
stularet, interpretarere. Quod si eorum quæ tum tibi misi,

n 2 non

non sum plane oblitus, culpam profecto omnem literarum
mearum silentij in me unum contuli, tantum à te petij, ut
si crebriores à me uel uberiores etiam uelles elicere, ipse
tu mihi istinc aliquid scribendi argumentum suppedita-
res. In quo si tam grauiter, quām quidem literæ tue osten-
dunt, offendit: quid iam mihi faciendum sit, nō sane habeo.
Taceamus at eo tu me nomine accusas. Excusemus at tu non
modo excusationem meam non accipis, sed de eo ipso per-
acute quereris, quod me purgem. Expostulationi tuæ re-
spondeamus at uereor, ne satis factio mea offendare, qui
tam facile indigneris morem tibi statim non esse gestū. O-
mnino ignosci mihi abs te, uel in aliena culpa, peterem,
nisi id superioribus literis frustra tentasse. Sic igitur pu-
to faciam, obiurgabo ipse te, qui prudentiæ humanitatis
tuæ oblitus, hominis tibi amicissimi animū sine causa abs-
te alienes. Sed profecto non alienabis. Quia enim sum in
tuendis amicitijs constantia, querelas istas, uel delicias po-
tius tuas omneis humaniter feram: nec si tu iniquior in me
esse perges, ego te amare ea re desinam. tantū uicem meam
dolebo, qui cum te tanti faciam, quāti haud scio an nemis-
nem, iniustiorem te tamen quām mea erga te beneuolen-
tia mereatur experiar. Dolenter hæc ad te magis (mihi cre-
de) quām iracunde scribēbam, cum ecce tibi à P. Bembo
literæ, quibus ille me de tuis in nos studijs & officijs cer-
tiorem fäceret simul & iuberet ut gratias tibi per literas
agerem, quod Io. Pinum currentem quidem sua sponte il-
lum, sed tuo etiam iudicio tribuentem plurimum, ad com-
pleteendam causam nostram incitasses. Itaq; mihi gratissi-
mum fuisse officium tuum scito: idq; ut ipse tu aliquando
intelligas, operam me daturum tibi uelim persuadeas. Sed
non faciam, ut tibi gratias ambitiosius egisse hic uidear,
quām

quām uel tua expectet humanitas, uel nostra patiatur a=
nūctia. Tantum habeto, præstaturum me tibi re melius
quām uerbis memoriam benevolentiam que quam debeo.
Impertire meis uerbis multum salutis & Quint. Lælio
Maximo, & Fur. Mario Molsæ nostro. Vale. Pata=
uij xii. Calend. Mai. Obsignata iam diu epistola at=
que propter repentinum Bembi nostri ab urbe discessum,
multos à me dies in manibus habita, accepi literas tuas ad
1111. Calend. Mai. Romæ datas: in quibus quod te scri=br/>bis de P. Brissoo nostro eiusq; aduentu mirifice delecta=br/>tum esse, equidem ualde gaudeo. Quod autem eum cōmu=br/>nibus etiam amicis notum commendatumq; esse uoluisti,
in eo uero mihi tam gratum fecisti, quām quod est grati=br/>simum. Spero enim & mihi tanti uiri amicitiam istic am=br/>plam fore: & illi ipsi ueteres nostras neceſſitudines, quæ
à nobis tantopere celebrarentur, uisum iri non indignas.
Tu quas ad eum Hieronymumq; Alexandrinum do lite=br/>ras, statim reddendas curabis: simul & Pino nostro de
ista fortunæ dignitatisq; accessione meis uerbis gratula=br/>bere. Iterum uale.

CHRISTOPHORVS LONG. PE=
TRO BRISOO S.

Quanta me lœtitia affecerint Funduli nostri literæ,
quibus ille te Roman saluum uenisse scribebat, tu
pro ueteri nostra & arctissima studiorum animorumq;
cōiunctione existimare potes. Ego certe quicquid ex iu=br/>cundissima alterius consuetudine fructus percipi posset, id
omne ex humanitate tua & olim percepisti, & me posthac
etiam laturum cōfido. Sed tu tamen mi Brissōe, huic tanto
meo gaudio nonnihil molestiæ aspersisti, qui ut aliorum
prius literis quām tuis de aduētu tuo fierem certior, cōmu=

n 3 seris

seris. Sed hoc ipsum tu facilime apud me purgaris, siquid ad nos statim scripseris, aut ipse potius ueneris. Venies enim, mihi crede, expectatus. Exponerem hic tibi omnem status nostri rationem, nisi te ex Funduli, Bembiq; nostri sermone ea iam omnia cognoscere existimarem. De tuis autem rebus, quando nihil nisi ex tuis literis certo scire possum, uelim tu de ijs ad me diligenter accurateq; perscribas. Vale. Patauij, Calend. Mai.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Cum ante diem tertium Id. Apr. Patauium uenisse, creditæ mihi sunt à te literæ, & cum ijs etiam exempla tum codicillorum, quibus nos Pont. Max. Francorum Regi commendasset, tum epistolæ quam tu de me ad Gul. Budæum scripsisses. Quid queris? nō potuit amicus quidem agi, nec studiosius quam actum est à te de commodis nostris: sed quo me tamen in genere Pont. Max. liberalitate cumulatum potius, quam ipsius commendatione ab alio quo quis auctum iri sperabam. Nam in Gallicis rebus, quas ego non tam benignas nobis, quam copiosas esse perspiceram, nihil unquam sane spei ponendū existimau. Noui eius gentis principū ingenia, cum literis nostris sua sponte parum tribuentia, tum uero mihi, quod relicta Gallia in Italiā me contulerim, parum amica. ut multo scilicet maiorem ex tuis erga me officijs uoluptatem capiam, quam ex illius Regis liberalitate fructum expectem: præsertim cū ad eā quam tu mihi ostendis spem, parati nihil omnino uidēa. E quidem cū de cōplectendo in causa nostra Io. Pino tecum commetabar, id uidelicet agebam, ut ab utroq; uestrum res nostræ Font. Max. non Regi Gallorū cōmenda rentur. Neq; enim nesciebā quam stultū esset, me quicquā ab eo petere, cui operā ipse denegasssem meā. Quid enim nobis

nobis ab ipso Rege & quid ab eius tandem matre, ad quam
etiam de me Pont. Maximū scripsisse ait? Quid ab ijs ipsis
inquit nobis spei iniectum nō est, quo nos uel apud se, uel
etiam in Gallia retineret? At qui pluris apud me fuit, et est
mehercule etiam nunc, earam ad quas tu me uocabas lite= =
rarum cōscientia, quam omnis Regia illa fortuna. Hoc ti= =
bi(credo) notum non erat mi Bembe, cū pontificios codi= =
cillos in eam sententiā conscribendos curares. Sed ea qui= =
dem mea certe culpa est, qui rē tibi non plane aperuerim.
Tu uero nimio quodā nostri studio atq; amore prolapsus
es, qui me, saltē de ratione codicillorum, non consulueris.
Potuisses enim, in mea præsertim causa, non nihil à me cō= =
moneri, quo artificio (neq; enim satis erat pugnare consi= =
lio) ea in re nobis utendum esset. Nunc commissum est, nō
modo ut tu in eo frustra elaborasse, sed ut ego ijs ad quos
mihi sunt, & ridiculus, & impudens uideri possim. Equi= =
dem mihi eorum sermones audire iam uideor, qui me hoc
biennio nihil nisi Pont. Maximū beneficentiam, nihil nisi
P. Bembi in me studia magnifice iactantem audissent. Sed
quando nihil nobis in eo iam integrum est (mutari enim
res nō potest) da (quæso) operā, ut quod est, quodq; tuis
ad Budæum literis ucribim cōmisisti, hæc me insciente o= =
mnia à uobis cōfecta esse intelligat. sic enim profecto, &
illustriore industriae tuae laudē retuleris, quasi quæ tu ad
me pertinere arbitrare, ea tua sponte feceris: & me ma= =
gna sane molestia liberaris, qui nō mediocriter uereor, ne
illi me iā consiliorū meorū turpiter pœnitere existiment,
cum ego me in hac instituta uitæ ratione magis magisq;
in dies singulos confirmem, uel etiam oblectem. Atq; in
bis cum mihi sint omnia mi Bēbe charissima, ea tu & pro
tua prudentia sapienter considerabis, & in eam partem

n 4 quam

quā summa uel mea in te obseruantia uel tua erga me bē
neuolētia postulat, accipies. Scripsi ex tuis literis ad Hie-
ronymū Fundulum, idem facturus ad Io. Pinum, & Alber-
tum Carporum principe, cū tibi maturū uidebitur, iubes
enim nequid festinē. Nam quōd etiam ad Antoniū Pratiā
nū dā das nobis esse censes literas: posſit ille quidē magno
rebus nostris esse adiumento: & est, ut quidē audio, nō a-
lienō à nobis animo. probasse enim illi consilium nostrum
aliquando tandem uidemur. sed uide num ex dignitate no-
stra sit, me supplicem ad eū nunc accedere, cuius ego neq;
uoluntati, neq; promissis cesserim, cū ipse mihi de se proli-
xe polliceretur omnia, si deposito profectionis consilio
mallem apud meos in Gallia quām in Italia uobiscū uiue-
re, sed nihil certe mihi cōsuetudine uestra, literisq; uestris
fuit antiquius, quibus omne meum ita do studium, ut mihi
in mente nihil ueniat minus quām cuiquā horū inuidere.
Sed quid est quod in extrema tua epistola iacis obscure?
ad eām quā nobis à Pont. Maximo in annum sumptum
decreta est, pecuniam, accessurum quiddam. Id cuiusmodi
sit, aucto scire: si quidem res est in manibus. Sin minus, in-
cumbe tamen in eam curam, ut à te non studiorum modo
meorum, sed etiam fortunarum omniū ornamenta profe-
cta esse omnes intelligāt. Nec enim est quōd te primus iste
conatus deterreat, quasi non ex sententia nostra processē-
rit. Nam & ego falli possum. est enim fortasse tam diligēs
commendatio maximi apud Regem ponderis futura, hoc
præsentim tēpore, cum is maiore Pont. Maximi quām no-
stri rationem habeat necesse est: & tu aliam facile nobis
uiam munieris, qui apud Principem istum, pontificiamq;
cohoret omnem tanta uel gratia uel autoritate polleas,
quantum te ista doctrina, uirtute, splendore uirum posse
atq;

posse atq; ualere par est. Vale. Patauij x i i. Cal. Maij.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Adem mihi nunc ad te scribendi causa est, quæ proxime fuit: hoc est, ut literas, quas istuc do, illis quibus ascriptæ sunt statim reddendas cures. Neq; uero est, quod me in eo uel patientia tua, uel felicitate abuti existimes: quādo id certe nō facio, ut aut oneris aliquid tibi imponā, qui id nutu conficere potes: aut ea in re opera tua libēter utar, quæ parū ex dignitate tua esse uideatur: sed ut omni tēpore tecum quoquomodo sim, quādo aliter consuetudine tua frui non possum. E quidē tum erga te cū meo amori satis facere, tum etiam officio fungi mihi uideor, cum ad te, quocunq; dato uel etiā quæsito argumēto, scribo: quod quidem in eam te partem accepturum esse confido, quam & summa tua humanitas, & iam plane confirmata amicitia nostra postulat. In rebus nostris nihil est sane noui, nisi quod me ceruicis rigor (*τιτανὸν appellāt*) aliquot dies exercuit: idq; cum pauloante ex pleniore intestino laberassem, sed non tam grauiter, ut à literis omnino abducer. Sic enim me tuus monitis atq; præceptis illarum spe, ad laudem uocasti, uel inflammasi potius, ut si in illis uita mihi ponenda sit, præclare mecum actum putem. Omnino in hoc uno sum totus, ut neq; tu, neq; collega tuus quicquam de me cæteris uel temere polliciti, uel frustra recepisse uidemini. Quod si fidem in eo uestrā planè liberare nō potuero, studio quidē certe, opera, aſſiduitate singulari perficiam, ut nobis fortunā potius inuidisse, quam meū laborem autoritati uestræ defuisse, & qui & iniqui aliquando intelligent. Mense proximo sum partim Veronæ, partim Vincentiæ, animi causa quidem, sed non sine libellis nostris futurus. Quare si forte longius interuallum literarū

n^o 3 mearum

mearum fuerit, id ne sis admiratus. Nauagerium nostrum
una nobiscum uenturum spero. Sed si res feret, faciam te
antequam hinc proficiscar, de tota itineris nostri ratione
certiorem. Vale. Patauij, Cal. Aug.

CHRIST. LONG. IO. AVRELIO
AVGVRELLO S.

Ivcundissimæ mihi fuerunt tuæ literæ, idq; ipsum sane
multis de causis. Primū quòd tuæ, hoc est, uiri omnium
sententia optimi atq; doctissimi: deinde quòd elegantiissi-
mis numeris, uersibusq; contextæ essent: postremo quòd
mirificā quandā tuæ erga me uoluntatis significationē ha-
bebant. Addo etiā, quòd defensionū nostrarū librū in ijs
ita laudares, ut me eo plurimum asscutū putare, qui te so-
la illius lectione, ad causam adiunctum esse perspiccerem.
Neq; uero adhuc cōstitutum habeo, quid mihi inter hæc
amplissimum fuisse putem. Nam quòd tu, qui in hac sum-
ma uirtutis doctrinæq; fama uiuas, ad me prior scripse-
ris, est id omnino magnum: sed nō eo sane maius, quòd sin-
gulare quoddam literarum genus in constituenda amici-
tia nostra tibi usurpandum duxeris. Illud autem, in mea
præsentim causa, quanti: quòd nihil reueritus iniquorum
sermones, & uictoriam nobis tam amice gratulari, & res
nostras graui tuo testimonio iudicioq; adornare es ausus?
Ego uero mihi Aureli, ctsi te ea esse intelligo cū natura, ut
dissimulare quicquam nolis: tum fortuna, ut tibi simulare
necesse nō sit: cū tamen ipse me ab eo longe abesse sentiā,
ut tuis etiam nunc laudibus respondeam, facile in eam sen-
tentiam adducor, ut nō me tam illis tuis uersibus laudare
uolueris, quam ad sustinendā illam quam de me excitatam
uides expectationē, amāter fidelerq; cohortari. Id si ita
est, quod quidē ex ætate tua meaq; mihi facile persuadeo:
bene

bene uelim de me speres. Dabitur enim à nobis opera, ut neq; tu quicquam de me falso prædicasse, neq; ego tantam uidear opinionē frustra cōcitasse. De mutuo meo erga te amore nihil est quod hic à te pluribus uerbis scribā. Essem enim ijs literis studijs q; quibus me à pueritia dedi, omnino indignus, & planè inhumanus, nisi tibi in eo non responderem modo, sed etiā cumulatu satisfacerē: quod etsi quām difficile sit uideo, id me tamen exitu tibi præstatum cōfido. Tu me, ut instituisti, fac diligas ac ualeas. Patavij, xiiii. Calend. Septemb.

CHRIST. LONG. HIERONYMO

ALEXANDRINO S.

Literæ quas te ante xvi. diem Calend. Ian. ad me dēdisse scribis, redditæ mihi sunt Venetijs ad iii. Non. April. quod quidem te iccirco in primis scire uolui, cum ne tu longius huius epistolæ interuallum negligētiæ meæ assignares, tū uero ut quibus literæ recte darentur, post hac uideres. Nam quōd cessationē tuam tam religiose excusas, facis tu quidem humaniter: sed nihil sane, ut te mihi purgatum uelles, opus fuit, qui mihi negligentia nomine suspectus nunquam fueras. Nihil enim eiusmodi istic acci disse scio, quod à te mihi perscribi mēa interesset, nisi quod de Alexandri fratris tui obitu significas: ex quo quantum doloris traxerim, tu pro mea erga tuos omnes, sed illū in primis bencvolentia iudicare possis. Verū quid agas? recusandū nobis nō est, quominus iure suo natura in nos utatur. Dederat illa fratrem tibi singulari quidem & ingenio & uirtute adolescentē: sed ea profecto lege dede rat, ut suo arbitratu cū à nobis repetcret. Reperiūt, citius quidē quām expectaramus, sed nō quām illi licitum esset maturius. Feramus igitur quemadmodū gratos minimeq; stultos

stultos homines decet, placatè, quod neq; accusare, neq;
uitare quisquā potest. E quidē de Rubemontio homine de
me tam bene merito, mihi tam amico, tuli ut debui: idem ti-
bi etiā de Volumnio faciundū censeo, quos uno die ambos
nobis creptos esse scribis. Nam de Gonzaga nostro quod
istic auditum est, falsum est. Philippi cuiusdam nobiliissimi
adolescentis Mantuani miserabilis cædes fabulæ locū de-
dit. Quod de Alcyonio & Stathio scribis, ego uero cum
altero nullas unquā inimicitias geſſi: cū altero, quod ad me
quidem attinet, bona fide in gratiā redij. Sciscitatus sum
autē per literas de Lælio Maximo, cuias isesset, qui se Ro-
manū diceret, multi negarēt: ego interrogatus de eo quid
responderē nō habebā. Rescripsit quidē mihi Lælius Ca-
labrū eū esse: quod etiā ipse de te mihi audisse uidebar: sed
quoniā nō desunt, qui in disceptationē id adhuc reuocēt,
tu me uelim, siquid exploratius habueris, facias certiore.
Turpe enim mihi duco, nō posse me alienos à ciuibus meis
distinguere. Gratularer hinc tibi de noua ista honoris ac-
cessione, si quām laetus quoq; splendore sis eques ad me scri-
pisſes. Sic enim huc affertur, cōplures istic esse nudos e-
quites, eosq; ipsos prius equestri cēsu exhaustos, q; in istū
ordinē receptos. Quia quidē certe de causa, Lælio Maxi-
mo nōdū sum eo nomine gratulatus. Si quādo intellexero
quæ sit in isto ordine dignitas, quæ uobis in eo tuēdo fa-
cultas, tum quidē ea de re ad utrumq; accuratius scribam.
Sed hoc iocati sumus: illud serio: Istam uobis emptionē be-
ne ac feliciter euenire uolo, uestrumq; in ea re iudicium
uehementer probo. Vale. Patauij 1111. Calend. Mai.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMO ALDO S.

Audio Bapt. Egnatium, quæcūq; ipse loca in scriptis
nostris

nostris animaduersione digna iudicasset, ea tibi cum suis
ad me literis notata descriptaq; iampridē tradidisse: cuius
quidem rei autorem habeo Romulum Amazæum, qui id
se de eodem Egnotio istic audisse diceret. Quod si ita est,
satis mirari non possum ea ad me nondum esse perlata,
præsertim cum tuam in me uel fidem uel diligentiam nun
quam desiderarim. E quidem cum multa mihi quæ uerear,
in mentem hoc loco ueniant: tum nihil æque metuo, ac ne
illa animaduersionum ratio in alienas manus peruererit:
quod non accidisse, quām mea intersit, non ignoras. Tota
de re si me certiorem quamprimum feceris, & me magna
sane molestia liberaris, & mihi tam gratum quām quod
gratiissimum feceris. Saulius noster Genuam proficiuntur
ad fratrem, aqua subtercutem fusa grauiter laborantem.
Redditus sui spem nobis facit ad hyemem proximam. Ego
rediturum non puto. Vale. Patauij. Calend. Maij.

CHRIST. LONG. GVL. BVDAEO S.

ET si cum Iacobi Sadoleti literis, meas quoq; nuper ad
te dedi: tamē cum Nicolaus Deius Samarobrinus istuc
proficeretur, homo tibi quidem minime notus, sed tui
tam cupidus quām studiosus mei, non potui ei, id etiam
atq; etiam à me uehementer petenti, nihil ad te literarum
dare: quanquam mehercule quod scribam non satis occur
rit, nisi tu hoc mihi permittis, ut te pro incredibili meo er
ga te amore, ad eam quam de uirtute tua concitasti, susti
nendum tuendamq; expectationē iterum cohorter. Neq;
enim uti cesses, iam tibi aut integrum, aut omnino postu
landum est, qui causam tua spōte suscepis, ac te reipub.
in ueterem dignitatem libertatemq; uindicandæ principē,
bonis omnibus professus sis. Neque uero, eo fides tua li
berata est, quod ille ad recuperandam libertatem exerci
tum

tum comparasse uideatur. Comparauit enim copias, numero quidem magnas illas, sed genere & usu exiguae, id est, tyronum & collectitias, hasq; ipsas leuibus prælijs quam statariæ pugnæ aptiores. Iam si, ut nūc quidem est, bellum ducēdum fuerit, eum tu sumptui in rem militarē faciendo parē fore putas, qui ne rem quidē familiarē ære suo tueri potest? Quòd ut animo ad cōserenda signa paratus uenerit, nō tamē ignoras, quātū in acie tyroni cōmittēdū sit, eo præsertim duce qui neq; autoritatis, neq; sane felicitatis satis attulerit: prorsus ut hoc nomine hominē laude posimus, q; nec de rep. desperarit, & ad afflictæ auxiliū, magna cum spe, ac uoluntate optima accesserit: in eō fortasse nonnihil reprehendcre, quòd neq; uiribus, neq; facultatibus suis, neque rei magnitudine difficultateq; satis explorata, in speciosis quibusdam honorū nominibus, & nudo bonæ mentis animo satis esse præsidij existimarit. Sed non propterea cuiquam stomachum facere, aut te ab instituto opere abducere debuit. Id enim perinde sit, ac si tu grauiter ægrotanti amico, ea re op̄e afferre nolis, quòd alius quispiā uel cunctatione tua offensus, uel diutina absentia inuitatus, morbo, quē tu nondū omnino depulisses, mederi frustra tentarit. Possis huic forte succensere, quòd eam, in qua non satis scientiæ habeat, artem exerceat: miscro illi propterea deesse non possis, cui etiam hoc te maturius succurrere decet, quòd iam perspectum habeas, nisi tu medicinam unus feceris, illi statim pereundum esse, idq; medicorum partim inscitia, partim iracundia: quorum utrum crudelius sit, tibi dijudicandum relinquam. Quòd si de prouincia, quam needum obisti, & in qua tibi summo bonorum omnium consensu imperium prorogatum est, homini nobisq; iratus, cōdecessurus es, quòd eam ille sibi

sibi tecum esse cōmūnem putarit, nec quē gesisti omnia
comprobarit, uide ne eandem in te animi æquitatem desideremus, quā tu anno superiore in Erasmo Roterodamo
requirebas. Meministi quām tu illum grauiter abs te ob=
iurgatum esse uolueris, quōd non satis placate Iac. Fabri
sententiam (qua ille eum tanquā de religione male existi=
mantem corriperet) tulisse uideretur: cū tu nunc tam acer=
be feras, ausum esse aliquē non de summa rei quidem illū,
sed de belli gerendi ratione à te paulū dissentire. An tibi
in causam ingredienti, illud in mentē nō ueniebat, nequa=
quam defuturos homines, qui partim maleuolētia, partim
imperitia res tuas inique æstimarent, ac te in eo potissi=
mum damnarēt, in quo industriā tuā nemo satis neq; lau=
dare, neq; sane admirari posset: hoc si nesciebas & tuam
profecto, & imperatorū omniū causam ignorabas. Verū
quod ad rem pertinet, tantū abest, ut ille de laude tua quic
quam delibarit, ut eo quidem factō, & stultitiam ipse
suam prodiderit, & uirtutem tuam, claram illam omnino
& sponte nobilem, sed illustriorem tamē reddidicerit. Sic
enim omnibus persuasum est, illa tua proxima uictoria,
imò uerò gloriōsissimo triumpho, in Rom. Pop. ararium
iam plane tot seculis exhaustum, illatas esse abs te omnes
omnium fere gentium opes, idq; nulla cuiusquam iniuria
aut omnino querela, quo quid uel admirabilius, uel cer=
tius dici posset nō sane uideo. Restat bellū aliud: quod si ex
sententia, ut spero & opto, cōficeris (est enim abs te iam=
pridem inchoatum, & ut uere dicā, affectum) debebit tibi
Popu. Rom. ciuitatem suam, non maximis modo opibus
beatam, sed optimis etiam legibus & institutis fundatam
atque stabilitam. Hic tu mihi delicias facis, quasi ea ex=
ceptione operam tuā reipublicæ sis pollicitus, ut ne alius
quisquam

quisquam manus operi admoliretur. Id si ita est, et (ut in-
uerzionibus tuis tecū agam) te initio unum huiuscēdī-
ficationis redemptorem, uel dominum potius fuisse conten-
dis: cur non aut illi nouum opus statim nunciasti, aut in-
terdicto, quod ui aut clām, cum eo ad restituendum opus
experiris, potius quām ipse nunc boni uiri officio nō fun-
garis? Plane si pro fiduciæ formula, inter bonos bene a-
gier oportet, ac tu id nobis bona, nec aliena fide recepisti:
sacrum etiam te cū opus nobis p̄stes oportet. Nec
enim, ut ille se expromissorem ultro obtulerit, illud certe
planum feceris, populum illius fidem sequi maluisse, quām
tuam. Nam quae tu mihi narras prædia, ea optimo esse iu-
re omnes negant: sed nec prædes omnino locupletes esse,
censores ipsi contendunt. E quidem neminem conueni
(conuenio autem quotidie plurimos) qui non eī illi hanc
operam libēter remittat, eī te unū esse fateatur, qui pos-
sis extrema cum primis contexere: addo etiam, qui non
te hac de re multū accuset, mecumq; quasi tecū expostu-
let, quōd hominū expectationē tam diu suspensam teneas,
in eo præsertim exoluēdo nomine, cuius cum optima iam
pars sit abs te expuncta, tum reliqua tibi expeditu est fa-
cilia. Quid multa? iustas eorum querelas sustinere iam
non possum, qui te non dico appellant, sed plane flagi-
tant, idq; suo iure, quando fidem ipsis tuam priore expedi-
tione obstrinxisti, posteriore etiā confirmasti: te ad assēm
exolutū esse, quicquid unquā populo spopondisses. Et
re uera satius esset nihil initio mouisse, quām tanta excita-
ta expectatione, nō modo hominū opinioni non respon-
dere, sed etiam sui dissimilem euadere, fidemq; suam nulla
de causa labefactare: ne quid hic dicam, quām superbū
sit tot hominum desideria aspernari: quām stultū cum id
nullo

nullo possis negotio , nolle de Rep. summa cum tua laude
optime mereri: in cuius quidem administratione , si te ille
non nihil interpellasset , atq; adeo offendisset , esset tamen
tuæ cum prudentiæ , tum etiam modestiæ atq; humanita=
tis, maiorem omnino Reip. quam priuatarum simultatum
rationem ducere . O mi Budæe si uera sunt quæ de cessa=
tione illa tua scripsisti , & in ea quā mihi significasti sen=
tentia permanurus es , parum te scilicet nosti , qui de alijs
tam sapiēter iudices . Tu istam igitur spem , imò uero hanc
quam in manibus habes gloriam , tibi uel turpiter eripi ,
uel turpius etiam perire sines ? Non sines , opinor , si tuos
sensus bene cognitos omnes habeo . Scio enim & quam
officio constantiæq; tuæ deesse nolis , quibus nomen tuum
uirtutibus atq; ornamenti immortalitati commendare ue=
lis . Noui animi tui grauitatem , noui altitudinem , quæ nec
ad inferendam iniuriam ullo modo possit adduci , neq; ad
referendam facile impelli . Quòd si illius odio in nos du=
rior esse perges , uide ne probabilem nocti sermonis mate=
riam homines , ut cuiq; commodum fuerit , dicant : aut tibi
bonam mentem , iracundiæ tumore ablatam esse , aut te nō
quidem iudicio uigiliam tuam alij tradidisse , sed motu ter=
ritum relictæ statione fugisse , aut (ut optime tecum deci=
dit) socium laudis ferre nō potuisse . Cupio enim te pro ea
quam mihi tecum intercedere uoluisti necessitudine , non
omni modo culpa , sed omni etiam iniquorum crimine ca=
rere . Quòd si causa , suadendoq; parum proficimus , iam
uero precibus et gratia cōtendimus , ut uel nostra , uel tua ,
uel ipsius reip. causa , exitus principis consentire uelis ; id
est , ut cuius magna ex parte salutē per te recuperauimus ,
eiusdē per te quoq; & ornamēta et iura aliquādo recepta
cōspiciamus . Sic enim certe fiet , ut P.Ro. intelligat , Gallos

o

olim

olim nunquam tam hostili animo urbem diripuisse, quam
 ijdem nūc studio ad eā ipsam quam alij euerterūt, instau=
 randam restituendamq; incubunt. Tu modo caue ut quod
 tanta tua, tāta patriæ tuae laude opus facere cōpisti, id in=
 choatum & rude ijs perficiendū expoliendūq; relinquas,
 quos forte ut fabros aliquis, nemo certe ut architectos ad
 istiusmodi ædificationem adhibeat. Tuum est hoc munus,
 tuæ partes: à te hoc omnes qui uel rempub. saluam esse uo=
 lunt, uel dignitati tuæ fauent, uel otio suo consulunt, non
 expectant solū, sed etiam postulant. quāquā enim tantas
 rebus suis tū fortunæ, tū dignitatis accessiones cōsilio uir=
 tuteq; tua factas esse fatentur, quantas in mentem uenerat
 optare nemini: tamē contenti non sunt, atq; cum pro illa
 qua quondam florebāt, gloria rerū omnium maxima, tum
 pro opū animi&q; & beneficij tui magnitudine incredibili,
 abs te maiora desiderāt. nec quicquam esse tantū sibi per=
 suadent, quod nō à te perfici atq; facilime præstari posset.
 Quòd uero in Gallia natus es, nō tam eo iam quidē uulgò
 mouētur, quam bonis omnibus persuasissimum est, Roma=
 nos eos esse & numerari debere omnes, qui nec sermone,
 nec animo, nec religione, nec legibus à P.o.R.o. dissideant.
 Extremū illud erit, utsi nobis in eo morē gerere nō possis:
 uelle enim te certo scio: officiū meū arrogatiæ ne codēnes,
 quòd ijsdē de rebus, et uerbosius fortasse quam par fuisse,
 & uehemētius quam tua mea&q; patiatur ætas, tecū agere
 sim ausus. Verū alterius causam, meus erga te amor susti=
 nebit: cuius testificādi gratia, magis quam ut prudētiā ti=
 bi ostētarem meā, səpius in eandē sententiā ad te scribo.
 Alterius cupiditatē, rerū abs te gestarū præstantia tuebi=
 tur: quarū equidem studio incēsus, facere nō possum, quin
 ut de reliquo optime spero, sic tibi interdū succēsa, quòd
 cum

cum nobis tantam felicitatem tam diu inuidas, tu nonnulis hanc ligurientibus laude tam facile cōcedas, quam tibi mehercule totam uni & deberi, & reseruari integrā sum= mōpere cupio: ut idcm tu nobis remp. in pristinum statum restituas, qui primus in spē libertatis ingressus sis, unusq; tanti operis & fundamēta ieceris, et princeps eius autorq; extiteris. Qui sit rerū mearū status, et si ex proximis meis ad te literis cognoscere potuisti, ex hoc ipso tamē qui tibi has reddidit, planius omnia & uberior intelliges: in pri= misq; illud cur uicena illa quina in annos singulos fester= torum nūmūm millia, quibus me Pop. Florētinus inuitat, non tanti faciam quanti multorū opinione fiunt: cur com= mentationes nostras de animaliū, plantarum, mundi q; & cœli natura, quas superiore hyeme in apertū proferre cō= stitueram, in aliud tempus reposuerim: quibus me literis tum Pont. Maximus, tum s. p. Q. R. in ciuitatem accersie= rint: tum uero quod nam secutus consilium huc me contu= lerim. Quid quæris? in tota uitæ nostræ ratione nihil sane est, cuius te is certiorem facere non possit: ita est homo & prudens & rerum nostrarū curiosus: ea porro doctrina atq; animi magnitudine, ut cum ipsum iure cōsulti princi= patu studiosæ iuuētutis abeunte, omnibus sui ordinis insi= gnibus ornandū, ob re in eo magistratu p̄eclare gestam, decreuissent, non antè illo sibi honore utendum duxerit, quām tyrocinio suæ in iure scientiæ autoritatem con= stituisset, & memoriæ fidem apud omnes fecisset: vt iam non possis hominem multis nominibus commendatum nō habere, sed illo maxime, quod tum tui, tum scriptorum tuorum tanto teneatur studio, ut in eo quidem uix mihi concedat, qui me huiusc rei principatum obtinere arbi= trabar. Sic tamen uelim ut eum honoris mei causa omni

o 2 tua

tua humanitate benevolētiaq; cōplectare, atq; ad id quod
ipsius causa uelle debes , cumulum meæ commendationis
adijcias . Hoc si feceris , erit mihi tam gratum quàm quod
gratiissimum . Salutem Ludouico Ruzæo, & Fr. Deloino:
quorum alterū citerioris Galliæ prætore expectabamus,
alterum offensiore in nos animo esse audiebamus: quæ res
plane fecit , ut ei literis obstrepare non sim ausus . Placa
mihi quæso hominem, quem minime omnium uelim habere
iratum . Ita est de me meritus, ut nihil ei meo nomine abs te
pollicendū non censeam, quo quidē uoluntatem eius recu=
peremus . Quicquid promiseris , bona id ego fide præsta=br/>bo, modo ne me istò reuocetis . Vale . Ex urbe Patauio,
pridie Cal. Septembr. Obsignaturo epistolam, mihi ue=br/>nit in mentem, te admonere , quanto meo periculo, huius=modi literæ, nisi abs te diligenter reconderentur , in alie=br/>nas manus peruenturæ essent . Quare tum has, tū eas quas
ad te proxime dedi, si modo salus mea tibi curæ est, statim
conscindes, aut ita certe, ne quando emānent, comprimes .
Vix credas quàm hic omnia mea scripta, dicta, facta in su=spitionem ueniant: tanquam id unum mihi sit operis, ut de
Italiæ dignitate, quàm possum plurimū detrahā : cum si
quis unquam de nostris hominibus huic nationi fauit, ego
& faueam multum, & tribuam mehercule plurimum . Nō
temere hoc scribo, qui singulari quodam hac in re sum fa=to . Nec enim nescis, quas mihi Romæ turbas concitarit il=la nostra de Gallorum laudibus declamatio . Quàm item à
me abalienarit Erasmū Roterodamum epistola quædam,
de uobis ad Iac. Lucā cōscripta: quā etiam (si deo placet)
idē Erasmus, cū nec ab ipso, nec ad ipsum missa esset, in uo=br/>lumina referendā & una cū suis edēdam curauit . Pari te=meritate prolatus est in Italia, ab amicis quidē nostris illis,
sed

sed me nō consulto tamen, defensionū mearū libellus: Va= lentiæ autē quædā mea in iuris prudentiæ laudē Oratio. cū quicquid huiusmodi nugarū cōmentor, id nō ad inge= niij doctrinæ ue famā: cuius quidē illæ capaces nō sunt, sed uel ad præsentem modo usum, uel ad cōparandā aliquam dicēdi facultatem mihi perscribā. E quidē non facile dixe= rim, ista' ne me scripsisse pœniteat iam magis, an pudeat: tametsi non tam mea infantia, quām istorū qui ex contra uoluntatē ex preter opinionē meā nugas illas in apertum protulerunt, culpa traducitur. At qui facilis sit huiuscē exi= stimationis iactura: illud omnino non ferendum, quòd me uulgo hominū opinio ex scriptis meis in crimē inuidiāq; adhuc uocat. Itaq; nisi me styli pœnas his dare uis: neque enim obscurum esse pos̄it, ad quem ἀληθινὰ illæ nostræ pertineāt: inscindes utrāq; epistolam, aut sic eas asserua= bis, ut nunquā exceant: quāquā enim nulla equidē maleuo= lentia in hominē suffusus hæc ad te scripsi, qui sane ab in= genio eius nec studio nec uolūtate abhorreo, ex egregium illū ac præclarū ad ius ciuile nobis restituendū animū cū laudo magnopere, tum mehercule etiā exoscular: ea tamē mea hic est causa, ut mihi uel de cuiusuis ingenio libere pronūtiare solutū nō sit, neq; adeo interrogato tacere in= tegrum. Si laudo, blandiri: si uitupero, odisse: si taceo, inui= dere me suspicātur. Cur te igitur inquies, ad nos non reci= pis: apud quos tibi uel planc tacere, uel etiam aperte quæ= sentias, dicere liceat? Primū, quia et si imperitā multitudi= nē partim obscurius iniquam, partim nō dis̄simulāter infe= stam experior, tamē omnes omniū fere ordinum principes ad causam adiunctos habeo. Deinde eorū hic mihi ex iam facta est, ex ut sp̄ero fict, Græcorū librorum potestas: sine quibus instituta à nobis opera nunquā neq; ex sententia,

o 3 neq;

neq; ex dignitate nostra absolui potuissent. Postremo, ne quid hic de P. Bembi & Iac. Sadoleti erga me uoluntate dicā, qui sibi nullū mei ornādi finē faciunt: A' Pōt. Maxi. honeste discedere quī possum? cū me is nō solū in illa temporū meorū nouitate, sua autoritate saluum et urbis cōpotem præstiterit, sed etiā nunc otium meū liberalissime tueatur, pollicitus se fortunā meā suis quoq; beneficijs honestissime ornaturū, si in eas toto pectore literas incüberē, quarū spe ad summam laudē, omniū expectatione, me uocari ipse sibi persuasisset. Sed hæc subtilius cū magis uacabit. Illud te uehemeter etiā atq; etiam rogo, ut Ruzæi nostri animū mihi recolligas atq; restituas: simul & ut in omnibus tuis epistolis quas ad Bembum aut ad Sadoletum muttes, legitima quædam neq; ea vulgaris nostri commendatio accedat. quanquam enim mea causa nihil non ultro facturi uideantur, tamen rebus meis multum conducere arbitror, ut per literas tuas me meaq; omnia tibi curæ esse intelligent. Id si feceris, & ex intima tua arte mirificum quoddam commendationis genus depropseris: faciam ut aliquando intelligas, te officium tuum apud hominē memorem minimeq; ingratum posuisse. Iterum uale.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

Pollicitus sum tibi superioribus literis, quod commendatione tua profectum esset, id primo quoq; tempore ad te scribere. Nihil igitur, ut nūc quidem est, adhuc profecimus: neq; id ipsius tamen culpa, qui se nihil tua causa non facturū Bolduco recepit, sed mea quodāmodo ignavia, qui nondum hominem conueni, ueritus primum, non accersitus ad eū qui occupatiſsimus esset accedere, deinde ne si literis tuis fretus, quas ille à me non accepisset, ultro accederem, contrà atq; inter nos conuenerat, idq; ipsum neq;

nec; loco nec; tempore facerem. Postremo metui, ne me multam Græcis literis operam aliquando dedisse, alicude resciasset. Est enim eo in Græcos animo, quo ille qui ad uilam suam Græca uia ut iretur, animum inducere nunquam potuit. Iocari me putas? serio tecum ago, siquidem uera sunt quæ audio. Audio autem hominem sibi persuasissime, ut quisq; optime Græce sciat, ita esse nequissimum, nequissimum autem: imò uero etiam indoctissimum. Itaq; si commendationem tuam renouandam esse mea causa putabis, uelim eum commonescas, nihil me minus quam optime Græce scire. Quod si diligenter feceris, & uerum melierule scripsceris, & me magna inuidia liberaris. At qui nec te item illud lateat uelim, quod mihi hoc ipso in genere perquam ridiculum accidit. Postridic eius dici quam Bolducus literas tuas illi reddiderat, descendebam in forum & spei & animi plenus: cum ecce tibi incurro in Prætorem ipsum & urbis Præfectum, purpuratos ambos, ac magni comitatu ad eā quam incolimus urbis regionē profici- scentes. Ego qui me cū ea spōte illi antea satis esse cōmen- datū arbitrabar, tū uero cōmendatione tua gratiissimū iam esse iudicabā, statim suspicatus sum eos ad me, quo uel benevolentia suam erga nos testatiorē, uel cōmēdationem tuam illustriorē facerēt, officiose uenire. tamen cū neq; pu- dor meus ferret, ut cū tantis uiris temere congrederer: & mihi etiā honorificentissimum fore ducerem, ut iij domum meam uentitasse dicerentur: de uia paululum ad lēuā de- flecto: M. Antoniū Flaminium, qui mihi unus comes hæ- rebat, idētidem num quo'nam illi, rogitans: quo negante, Quin igitur, dū hi cū toto absunt comitatu, curiāspectatū imus, non dū à me per otium uisam? Id eo consilio cōmenta- bar, ut ibi fabulæ exitum expectarem. Redēut illi tandem:

o 4 ego

ego me in litigantium turbam conijciens abdo : iam enim
me & meæ ambitionis pudebat, & quod eis domi præsto
non affuissem, pœnitebat. Quo ad ædes nostras accedebā
propius, eo magis tacitus mirari, neminem nobis occurre-
re, qui rem tantam nuntiaret. Ingredior, solitum ubiq; si-
lentium : percunctor, nullum de Prætore uerbum. Quid
multa? cœpi ipse aliquando mecum & stultitiam meā ri-
dere, & quod erat statim conijcere : nihil illi minus quam
res meas esse curæ. quod quidē pro animi nostri facilitate
& qui boniq; fecimus, & res si coget, posthac etiam factu-
ri uidemur. Paucis antequam has ad te darem diebus, ru-
mor hic erat, te rem tuam bene gesisse: sed is etiam raukus
factus est, & ad me non satis constanter perlatus. Tu si
quid erit, quod amicis tuis iucundum fore iudicabis, aut
scribes ipse, aut aliorum certe literis id nobis quoq; signi-
ficandum curabis, & ualebis. Nos enim ita ut cum maxi-
me & ualemus & studemus. Cum has ad te scriberem, co-
gitabam Venetias animi causa, unde ad te literarum ali-
quid fortasse dabimus. Ex urbe Patauio, Idibus Octobr.

CHRIST. LONGOL. FVRNIO

MARIO MOLSAE S.

Exercebar trigonali pila domi cum M. Antonio Fla-
minio, cum Nicolaus Machælus salutem utriq; no-
strum tuis uerbis attulit. Quem cum rogassem, ecquid à
te aliud? Nihil sane, inquit. Aderit enim propediem ipse.
Sic tamen literarum aliquid à uobis interim expectat.
Quid ita inquam, si quidem continuo congressuri su-
mus, nec ille præter salutem quicquam? Hic cum ille
conticuissest: ego ad Marcum Antonium. Tu Flamini
quid tibi sit licitum uideris. Ego ad istum scripturus non
sum, qui neq; me literis suis dignum unquam iudicauit,

et

¶ accusatoris nostri nomen immortalitati commendauit.
 Scripsi has tamen statim cum paulū à lusione respirassem
 mi Furni: ne uel tu id à me serio dictū existimares, uel ego
 te in eo imitarer, de quo te potissimum subaccusare soleo:
 quanquā mehercule, quod scriberem nihil plane erat, nisi
 nobis aduentū tuū in summa esse expectatiōe: cuius quidē
 rei me primū suis literis certiorē fecit Fl. Chrysolinus, de-
 inde Q. Lælius Maximus: quē Quinti prænomen secutū
 esse arbitror, quod Quintiae alicuius, ut tu Furniæ, cōsue-
 tudine istic teneatur. Sed hæc & nostro more iocati su-
 mus, & corā liberius ridebimus. Tu modo fac uenias: ue-
 nies enim expectatus, nō mihi modo, qui q̄ libēter multas
 horas tecū ponā atq; suauiter traducā, ipse meminisse po-
 tes: sed familiaribus etiā nostris omnibus, in primisq; St.
 Saulio, & M. Ant. Flaminio, quorū alter per me salutem
 tibi ascribi, alter referri uoluit. Tu si ante x v. Cal. No-
 uēb. diē ad nos exieris, fac oīno Venetijs iter facias. Nos
 enim ibi offendes: q̄ cras, ad summū perēdie, illò animi cau-
 sa cogitabamus. Vale. Ex urbe Patauio, prid. Cal. Octob.

CHRIST. LONG. DIONYSIO MO=

NACHO LERINENSI S.

VT inam eius essent generis meæ literæ, ut te, quemad-
 modum scribis, delectare possent: crebras omnino,
 nec eas sane minus longas, quam optare uideris, à me acci-
 peres. Verū cū nec ipse tu, quam ex sermonis Latini pau-
 pertate laborē, ignores, & egomet mihi plane sim cōscius
 quanta difficultate, præsertim ad homines doctos tuiq; si-
 miles scribā: ne mirere si uel rariores uel breuiores quam
 expectas, à me tibi reddātur. Nā etiā cum nihil unquā fe-
 re est quod tibi mittā, nisi te à me fieri plurimi, sed de quo
 ipse nō dubites: tum uero si quid aliquādo est, decet penè
 o s semper

semper cui id recte dari possit. Sodales igitur tui, quoties
istuc proficiscuntur, eius me rei certiore faciant necesse
est: et ipse tu scribendi argumentum aliquod nobis pre-
beas oportet, si modo meas elicere uoles. His enim ad tuas
benevolentia magis erga te mea adductus respondi, quam
quid responderem occurreret: nisi forte in co epistolæ ma-
teriam à nobis quæsitam esse putas, ut me tibi tum de p̄a-
terito, tum etiam de futuro silentio excusarem. Vale. Pa-
tauio 1111. Calend. Iun.

CHRIST. LONG. GREGORIO
CORTESIO S.

Quod posteaquam in Italiam redij, nihil ad te litera-
rum dedi, id profecto neq; obliuionetui factum est,
qui etiam si uelim, tui tamen obliuisci non possim, ita fre-
quens et iucundus nobis hic est de te quotidie sermo: neq;
sane quin esset quod per literas tecum agere uellem, sed
quod ea erant in manibus, quæ nec literis, nec cuius recte
comitti possent. Rem tenes, genustabellariorū nosti. Nūc
autē cum rationē ad te tutò scribendi inicrim, scito mihi
magis magisq; quotidie de rationibus tuis cogitanti, non
iam placere ad rem, ea quā tibi istic ostenderā uia aggre-
di: ne si quid offendatur, iniquorum sermonibus detur lo-
cus, quos uel minima re ad deridendum contentos fore ui-
deo. Sin ut uolo et opto cadat, ne rem mali exempli insti-
tuisse, nec tam doctrinæ studio, quam religionis odio eō
confugisse existimemur. Quinetiā nō possint multorum
sustineri causæ, si tibi quod postulas à Pont. Max. uni cō-
cedatur: nec tu non temere de iudicio principum tuorum
aut iudicasse aut desperasse, qui rem tam honestam ab eis
non petendam esse duxisses. Huc accedit grauis illa inter-
uos et Pont. Maximum controversia, ut ne si exploratū
quidem

quidem sit illius nos compotes fieri posse, tamen uelim hoc tempore, ne ordinem deseruisse, uel etiam data occasione turpiter trans fugisse potius quam studijs nostris praesidiuit quæsiuisse ullum uideamur. E quidem cum nostra plurimum interesse arbitror, grauitatem ut tueamur, neq; tam docti quam boni uiri hominū opinione habeamur: tum uero te non omni solū cupiditate, sed omni etiā cupiditatis suspicione carere uelim. Nec enim nescis, tametsi uoluntatem ea in re tua quasi ambitiosam & inanē bonus nemo reprehendere possit, quam tamē difficile sit his præsertim moribus consiliorum nostrorum rationes uulgo probare. Atq; si Romæ nunc essem, ipse tibi negotiū nullo maiore negotio per me cōficerem: operā quidē profecto, studium, cōsilium, fidē, rem deniq; meā in eo tibi diligēter nauarē. Absens rem tātam per interpretes moliri sine periculo qui possim: Itaq; ne per Sadoletū quidē nostrū quicquā mihi conādum arbitror, præsertim cum crebris amicorum & ipsius maxime Sadoleti literis Romā uocer: quò si me aliquādo cōtulero, omnes uias persequar, quibus ad id quod cupis peruenire posse putē. Sed audi casum plane diuinū: scribente me hæc ipsa anxie, repete nuncius rem in cōuenitu uestro ex sententia nostra cōfectam esse: habere iam te omniū munerum uacationē: tantū sodalitatistuæ studiofis omnibus otij publico patrum decreto impartitum, quantum tu uix uel per nos, uel à Pontifice Maximo consequi potuisses. Quid quæreris? Sustuli manus, meq; à consilio & deliberatione ad gratulationem totum conuerti: præser- tim qui eam rem nō modo facultatem apud tuos habuisse, quod uel ipsum plane desperabā, sed summo etiam totius conuentus assensu comprobatam fuisse perspicerē. Quapropter fruere isto mi Cortesi otio: quo nihil neque tibi accom

accommodatius, neque sodalitati tuæ ornatius, neque nobis
amicis tuis iucundius contingere potuisse iudico. Vale.
Ex urbe Patauio, 1111. Calend. Iun.

CHRIST. LONG. AVG. GRIS
MOALDO PONT. S.

Quod magnum, cum tuæ in Christianam religio-
nem pietatis, tum in optimarum artium studia a-
nimis, Lerina tua priscæ dignitati restituta, id est, doctissi-
mis atque sanctissimis uiris dicata, fructum cuperis: nec
ipse quidē dubito, & pro mea erga te obseruantia ualde
etiam lætor et gaudeo. Nūc enim deniq; nō fortunā quidē
ipsam, quæ nihil hisce in rebus iuris haberet, sed Iesum
Opt. Max. optatis tuis respondisse uideo. Quod quidem
tu, quasi ita futurū præuidisses, coeperas etiam(ut audio)
ad amoenissimas illas fontiū scaturigines magnificū opus
facere, loco, mea quidem sententia, studiosorum hominum
habitationi perquām accōmodato: hāc quoq; ædificationē
bene tibi ac feliciter euenire cupio, sed non mea minus q
tua causa, qui mihi illic nō nihil loci atq; ocij ad recolen-
da studia nostra abs te assignatū iri sperem. Literæ quas
ad Gr. Cortesiū do, eius sunt generis, ut eas in alienas ma-
nus peruenire nolim: qua plane de causa cum tuis compli-
cas, & in tuarum fasciculum coniectas obsignauī, ueri-
tus ut si illi nominatim descriptæ essent, ne quē sodalium
eius ad lectionem sui inuitarent. Itaq; mihi gratissimum fe-
ceris, si eas ipse tu illi reddideris: quod ut facias te uehe-
menter rogo. Mitto ad te defensionum nostrarum librū,
non quo hā mihi magis probentur illis quas tibi istic le-
gendas tradidi, sed ut intelligas quid acerbæ illi aduersa-
riorum meorum accusationi responderim, qua me absen-
tem & iam Roma profectum in crimen inuidiamq; apud
Pont

Pontificem Maximum uocassent. Vale. Ex urbe Pa=
tuio, 1111. Calend. Iun.

CHRIST. LONG. STATHIO S.

Variè sum hodie tuis literis affectus: quā enim officia
in me tua cōmemorabas, fuerunt mihi non insuaves:
quā uerò ad te esse allatum significabas, mihi epistolā ne
scio quam tuā non satis probari, haud mediocrē molestiā
mihi attulerunt. Illud autē in eis odiosissimū, neq; medius
fidius uel pudore, uel ætate tua dignū fuit, quod propè mi
nitabūdus me ad inimicitias uocare sis ausus. Ego Stathi,
quod scribis te tum istic, tum in Gallia probitatē doctri= =
namq; nostrā prædicare solitū, quanquā id nunc primū
audio, tamen facile credo, atq; de eo tibi gratiā etiam ha= =
beo. Quod autē iniqui cuiusdā mihi hominis, eiusq; quem
tu uel indignatione tua indignū profiteris, sermonibus ad
ductus inimicitias mecū gerere non recusas, in hoc plane
modestiam tuā requiro. Nam prudentiam quidē aut con= =
stantiam dicere nō ausim, quando nihil huiusmodi in hanc
ætate cadit. Fuerat tamen tuæ istius præclaræ indolis: pri= =
mum hominis qui illa in me cōferret, æstimare ingenium:
deinde naturæ nostræ moderationem: deinde ecquid de te
in eo quidem genere detrahi poterat: postremo nō statim
tibi in animū inducere, te mihi displicere, si epistola quæ= =
dam tua mihi nō ita placuisset. At cognosce ex postulatio= =
nistuæ æquitatē: fac me dixisse illud unū, de quo quereris,
illam tuā in Salmonium Macrinū epistolā uisam esse mi= =
hi satis neq; elegante neq; copiosam. An hæc tibi tandem
iusta suscipiendarum inimicitiarum ratio uidetur? At erat
(inquis) tui officij me admonere. Quasi uerò tu eam mihi
legēdam tradideris, aut ut ea in re operā tibi nauarē meā
unquam postularis. Vide quām inania sint, & quām tu
temere

temere ea quæ ad te delata sunt, credideris. Ego enim, neque elegantiam, neque copiam in ijs literis me desiderare tum dixi, quanquam utrumq; desiderabam: sed humanitatem tuam, qui nulla iniuria laceſitus simultates tibi uel usq; trans Alpeis cum homine utriq; nostrum amico gerendas putares. Quod quidem si à me ne cōmuniſ cōcor- diæ quidem causa dictum oportuit, tibi in communem a- micum gratis scribere quî licuit? Sed nolo tecum accura- tius agere, neq; sane quæ mihi in mentem aduersus te ue- niunt, ea hic perscribere: multo uero minus illa tibi com- memorare, quæ te nō modo in literas, sed in mores etiam meos istic in dies singulos euomere audio: purgare me ti- bi tantum hoc tempore uolui, non te accusare: quod de me temere credideris, atq; tam nulla prorsus de causa, nō Ro mano quidem (ut tu arbitraris) sed plane gladiatorio mo- re, inimicitiæ ac amicitiæ tesseram cōtemptim mihi propo- fueris, adiectis quoq; insolentissimis illis uerbis, quibus te mihi acerbiſimū infestissimumq; hostem fore pronuncias, nisi te mihi amicū deligerē. Quid si nolim? Atqui ea sanc- tua est cū ætas, cui facile ignosci poſſit, tum rerum huma- narum imperitia, ut multa potius misericordia, quam ullo inſigni odio dignus uideare, ea autē nostra humanitas, ut iſtiusmodi ineptias facile cōcoquamus: is animus, ut minas fortiter cōtemnamus: ea religio, ut inimicitias fugiamus, et iniuriarū facilime obliuiscamur. Quare amicitiæ tesse- ram libens accipio, atq; te interim pro instituta inter nos amicitia moneo, ut neq; in laceſendo poſthac ſis tam pro- cax, et cæcū hunc animū impetum, ſi omnino tollere non potes, certe refrænes atq; cohibeas. Nec enim tibi mecum ſemper erit negotiū, qui cū me& facilitatis rationē liben- ter habeo, tum etiam indoli tuæ plurimum faueo, cuius ſi ardorem

ardorem nō ad suscipiendas uel gerēdas inimicitias, quod
plane barbarū est, & homine Christiano indignū, sed ad
bonarū artium studium traduxeris, spero te nō tibi modo,
sed ciuibus etiā tuis magno aliquando ornamēto futurū.
Hęc ad te paulò quidē tristius atq; seuerius quām mea na-
tura ferat, sed fideliter mehercule & amanter scripsi: non
quōd amicorū meorū iudicio, literæ tuæ tam contumelio-
sæ, tam minaces, dignæ essent, ad quas tam humaniter re-
scriberem, aut omnino responderē: sed ne me tu tibi iratū
existimares, si in eo quo me ad rescribendū inuitaras, mo-
rem tibi nō geſſissem. Quod quidē etiā mea ſponte factu-
rus fuerā, tum ut animū tibi aperirē meū, tum ut te mone-
rem, uideres etiā atq; etiam diligēter, quid tibi expediat,
quid te deceat: aut si per te ipſe id perspicere nō poſſis, ad
hiberes in cōſilium uiros probos & homines amantes tui,
quorū ex ſententia nihil tibi facile minus licebit, quām ut
cum ætate, dignitate, fortuna, noſtra deniq; erga te bene-
uolentia depugnes. Quōd ſi aliter tibi faciendum ipſe ſta-
tueris, non tamen perficies, ut te omnino oderim. Illud for-
tasse aſſequeris, ut cum operam dederim, ne mihi quicquā
consilia tua noceant, in utram partem noſtrum de te iu-
diciū accipias, non magnopere laborem. Vale.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

AMORIS erga me tui uestigia, nullis opinor literis uel
plura uel illuſtriora imprimi potuerunt, quām ijs
quas abſ te proxime accepi. Sic enim quocunq; me uerti,
leniſſimiſ atq; amantiſſimiſ uerbis expreſſa apparent, ut
etiā cum me obiurgas, magnam quandam tuæ erga me
uoluntatis ſignificationem perspiciam. Illud uero quām
non iam ſignificat, ſed me meaq; omnia tibi curæ eſſe pla-
ne declarat, quōd tot ac tantis, quas tu copioſe quidem &
eleganter

eleganter collegisti, scribendi difficultatibus affectus, tam
men tibi ad me scribendū duxeris. At quas literas ē quām
uberes? quām suaves? quām subtiliter luculenterq; omnia
quae ad nos pertinerent, explicantes? ut facilime animad=
uerterē, quantū in eo mea causa laborasses, qui maiorem
meæ omnino quām tuæ quietis rationem habuisses. Atqui
nolim uir optime mihiq; charissime Bēbe, tantū mihi post=
hac tribuas, aut omnino quicquā meo nomine in scribēdo
industriæ ponas, siquidē interim tibi cū huiusmodi litera=
rum satietate, uel etiā (quod minime omniū uelim) cū uale=
tudine tua pugnandū esse cognoscas. Mihi quidē certe fa=
tisfactū putabo, si ex literis tuis, meas tibi redditas intelle=
xero. Neq; enim dubiū mihi esse potest, quin si eas lege=
ris, pro ea quā mihi tecū esse uoluisti neceſſitudine, māda=
ta etiā nostra diligenter curaris: itaq; te omni ista accura=
tius scribendi molestia libcro, quanquā mehercule in lite=
rarum tuarū lectione, quasi in aureæ illius ætatis ſpecula=
quadā libēter acquiesco. Verum nō id mihi sumo, ut uolu=
ptatē meam cōmodo tuo anteponi uelim. Quod autē te ne=
gotia nostra cū Io. Pino, regis Franci Legato procuratu=
rum ſcribis, de eo ſic uelim ipſe ſtatuaſ, ut omnia tibi pu=
tes ex re & tēpore cōſtituenda, neq; uerbū à me in poſte=
rum hac dē re expectandū eſſe. Primū quia nihil certi, ad
quod literas meas accōmodem habeo. Deinde quia ſi quid
in his prouideri potest, uos id melius. Quare uelim quidē
à uobis factū egregium aliquod prius audire quām id fu=
turū ſperarim: ſed quādo id nō tam in uestra quām fortu=
næ ipſius manu poſitū uideo, nō equidem ipſe uos ne mihi
deſitis rogabo, ſed deum potius immortalem ne studio di=
ligentiæ que uestræ deſit, comprecabor. Illa porrò mea
tuorum in me beneficiorum commemoratio, non eò quidē
ſpecta

spectabat, ut uel auribus tuis aliquid darem, qui sum unus
omnium (ut nosti) minime blandus: uel locum mihi apud
te quererem, qui me fratris habes loco: uel te in me aman-
do confirmare, qui de constantia tua nunquam dubitavi:
sed quo me tibi memorē atq; gratū probare, tametsi isthuc
mihi modice, uel intra modum potius & raro uideor fecis-
se, qui nullum eiusce rei locum sine nefario scelere potue-
rim prætermittere. Sed quando ea es animi moderatione,
ut tibi ne gratias quidē ab amicis agi uelis: erit mihi post=
hac tua uoluntas officio meo antiquior, præsertim cū ine=ptum
sit, me, qui tibi uix re satisfacere possum, uerbis gra=tiā
referre conari. Quod autem me ad omnem abiijcien=dum
timorem, graui illa tua disputatione cohortaris, atque
interea etiā amanter subaccusas, quasi saluti meae diffide=re
hic deniq; incipiā, qui Romae tam fortiter atq; intrepide
imperitae multitudinis impetum sustinuisse: Ego uero
mī Bembe non tam magno animū motu perturbatus sum,
quād aut tu quidē existimas, aut pars etiā quædam mearū
ad te literarum significare uidebatur. Sic autem tecū egi,
ut mecum interdū soleo, cum illa mihi propono, quæ homi=ni,
cuius ea sit quæ mea est causa, accidere & possunt &
solent. E quidē ad neminem, præter te, in eā rationem scri=psi,
cum domesticis ne uerbum quidcm feci. Neq; tamē ma=gna iusti metus causa nō fuit. Nam si ad uos undiq; profe=runtur omnia, audistis scilicet aliquid de indigna illa quo=rundā ex Gallia procerum, nōnullorum itē ex studioſa iu=uētute adolescētium cēde, quos hic per eos quibus illa ad te scripsi dies crudeliter trucidatos esse cōstabat. Accede=bat eōdem, quod ex nequissimis illius Sinonis nostri grega=libus emisſitij quidam, partim me literis minaciſsimis contu=meliosiſsimiſq; ad inimicitias uocarent, partim non bellos

p dc

de me rumores dissiparent, alij Lazarum nostrum iniquis sermonibus in me incitare conarentur. Quibus quidē rebus commotus, non ego quidem, ut meae firmitudinis essem oblitus, sed certe ut te improbitatis istorū facarem certiorē, scribē dum ad te putaui: idq; magis ut me tuis cōsilijs aduersus impendentia mala munirem, quām præsentibus, quæ caueo magis quām timeo, perterrefierē. Solutus enim ab omni grauiore cura tum erā, cui quidem rei argumēto uel epistola illa mea esse possit, quā summam animi mei letitiam, nō modo tranquillitatē, optima sui parte præse tulisse nō ignoras: et si mehercule nō eadem hic est temporum meorū ratio, quæ anno superiore istic erat. Tum enim cō filio & autoritate de iure publico disceptabatur, eoq; mihi forte parcebatur, quod aduersarij nostri uictoriam sibi despōndissent. Nunc uero nō ea solum ipse deturbati, sed etiam turpisime uicti, ad extrema consilia descendunt, nec ex iure manu consertum, sed pilis & gladijs rem repetitū ueniunt. Iam mihi istic cum Pop. Rom. erat negocium, qui me iudicio & legibus, quām ui atq; oppressionē uinci maluisset. Hic mihi res est cum portentis nescio quibus, quos neq; s. p. Q. ipsius Romani iudicium, neque pudor ullus neq; ius aliquod ad æquitatem animi traducat: sed suus furor, sua immanitas ad latronum gladiatorumq; consilia præcipites agat. Eo sane factum est, ut non ad te modo et M. Antonium Michaëlem pluribus uerbis scripserim, sed Venetas etiam ipsis obtrectatoribus meis in eandem sententiam rescripserim. Nec enim alias profecto, quemadmodum me ab istorum calumnia uindicarem, rationē inire potui: nisi tu forte à me nullum meae in nomen Italum benevolentiae signum datum uelles, ne tum quidem cum me isti in crimen inuidiamq; iterum uocarent. Atqui ocium tuum

tuum huiusmodi cogitationibus perturbari nolle. Sapienter hoc tu quidem & amicissime precipis: uerum non metam solicitum ea res habuit quam tu tibi persuades. Ita enim uitam meam iam pridē institui, ut mihi nihil magnopere metuendum, neque adeo in malis numerādum, quod quidem à culpa absit, existimē. A' qua culpa, cum absim, hac certe in re, quam qui longissime, non tam moleste istorum calumnias accipio, quam tibi nonnunquam uideor ferre. Omnino eo sum animo, quo tu esses, si te in eum fortuna casum demisisset: ut aut iniuriam ferendo impius, aut crimen diluendo timidus querulusq; haberere. Quæ sanè causa fuit, ut istos de me impune concionari nolle. E quidem in cæteris causis facile tacere possum: simulac uero quis uoluntatem meam, tanquā à uobis alienā, atq; (ut istorum uerba ponam) Italiæ infestam, populari odio subiucere conabitur: non dissimulaho contumeliam: neque sanè committam, ut taciturnitatem meam iniquus interpres conscientie assignet. Quid exim si quis me quasi de religione male sentientem, publicæ inuidiae obijciat, tacendum mihi putabis? Non putabis opinor: quare nec isti, cum me contra Italiæ dignitatem omnia tum facere, tū dicere calumniantur, id quidem tacitum tulerint. Scitum est enim illud iure=consultorum, Qui tacet, fatetur: confessus pro iudicato habetur. Purgatum me tibi quidem, immo uero ne in suspicio= nem omnino neque apud te neque apud tui similes unquam uenisse, certò scio. Sed non aliter tamè exulceratis cæte=rorum animis mederi possum, quam si aut falsa ea esse ostendam, quæ in me conferuntur: aut istos qui se Italiæ dignitatem atque populo Romano maiestatem, aduersum me tueri gloriantur, omni cura, diuturna' que solicitudine liberaturus Lerinam commigrem. Quocir-

ca' à te peto , ut te meo uel dolori, uel si mavis timori,
æquum iudicem præbeas : si et me olim Romæ temerita-
tis damnare solebas , quod imperitæ multitudinis minas
insidias que fortiter contemnerem : et ea nostra est cau-
sa, ut pium meum silentiū in contrariam partē facilime ra-
pi possit. Neq; tamē est, ut suprà scripsi , quod studia mea
his contentionibus interpellari metuas : quando nullam in
eo iacturam, non nihil etiam forte lucri , in exercēdo stylo
fecimus:cuius ego te rei testem laudare possum, si modo ue-
ra sunt, quæ de accessionibus in scribendo nostris epistole
tuæ cōsignasti. Quod si me nō tam præsenti iudicio quam
reliqui tēporis expectatione adductus, ad summam cohor-
tari uoluisti, tamē mihi bene sperādum est. ut enim illa lite
rarū tuarū particula, qua te mihi fortitudinis præceptorē
præberes, omnē animi mei metū, si timidus essem, absterge
re potuisset: ita admonitio et adhortatio illa tua ~~tau~~^{tau} urget, rem nō habere modo facultatē, de quo
quidē dubium mihi diu fuit, sed nobis etiā ut uolumus et
optamus aliquādo processuram ostēdit atq; pollicetur. De
Mariano Castellano quod fecisti , est id mihi tam gratum
quam quod gratissimū . Sed maximo me certe gaudio cu-
mularis, si hominē mea causa, omni humanitate comitateq;
tua quam honorificētissime cōplete dum suscepseris: id est,
re, uerbis, uultu deniq; expresseris et quanto tibi studio di-
gnitatē eius corā cōmēdarim, et quam tu illū meis etiā li-
teris habeas cōmēdandum. Pari uelim liberalitate Læliū Ma-
ximū cōprehēdas, uirū mihi et familiarissimū, et illa meo-
rū temporū nouitate probatissimum: de quo tecū hoc bre-
uius, cum quod de hoie tibi nō prorsus ignoto scribo, tum
quod si quo sum in hoībus amicisq; deligēdis iudicio, cōfi-
do eū se tibi sua sponte satis esse cōmendaturū, uel iam po-
tius

tius esse cōmendatissimū. Quod si ita est, peto à te, ut ad id quod ipsius causa iam uis, addas cumulum commēdationis meæ: si autē tibi aut propter uerecundiā suā, aut propter occupationes tuas, nō dum satis est cognitus, sic eū tibi cō mēdo, ut uirum optimū, hominē honestissimū, eundēq; neq; à studijs nostris abhorrentē, neq; amicitia tua indignū, ab hoīe pernecessario commēdari par sit. Cū has ad te dabā: et cōsilium peregrinationis, de qua ad te antea scripsi, de posuerā, neq; Marinū Georgiū adhuc conuenerā, quē tamē ex Bolduci oratione, nihil nō tua causa in rem meā fācturum intelligo. sed id erit alterius epistole argumētum. Flauio nostro & Fundulo literas, quas in eundē cum tuis fasciculū cōieci, reddēdas curabis, et meis uerbis saluere cōmunes amicos iubebis. Vale. Ex urb. Patau. xvi. Cal. Oct.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMOALDO S.

Crebras aduētus tui expectationes Lazarus Bonamicus nobis commouit, qui te quotiescunq; istinc redifset (redibat autem septimo quoq; fere die) huc animi causa propediem exiturum nunciabat. Qua quidem opinione, me iustum iam mensem Patauij continuisti, Venetias statim cogitantem: nunc uero cum tu minus ad nos, nos sci licet accūrremus ad te Calendis, aut postridie. tu fac sint omnia ad eum diem parata: sed non ut antea, cum te morum magistro atq; etiam medico utebar. Iam enim, si ne scis, & morbum olim depulimus, & in aduersarij nostri Epicuri castra transiuiimus: explorator, an transfuga, nondum habeo dicere. Sed tamen hospitem expecta qui tibi domi tuæ nihil minore indulgetia tractandus sit, quam Vibius Paccius M. Crassum Cinnanis temporibus in spe lunca delitescentem accepit. Rides? At qui certe spero ho-

p 3 spitium

spitium tibi nostrum non minus gloriosum aliquādo fore,
quām illi, quōd exulem suscepisset Crassum, fructuosum
fuisse suspicamur. Hoc aspersi, ut me Epicuri epistolas
quoq; perfidenter imitatū intelligeres : qui ad Idomenāū
regis Persarum praefectum Græcē quidem, sed in hanc sen-
te ntiam scripsit: Si gloria tangeris, nobiliorem te epistolæ
meæ reddent, quām omnia ista quæ admiraris, & propter
quæ te uulgas suspicit. Sed ut ad id quod institui redeam,
decreui paucis ipsis, quibus tecū futurus sum dicibus, omni
prorsus abiecta literarum cura, animiq; solicitudine depo-
sita, cum natura in gratiā redire: id est, genio, quē quinq;
ipso menses misere defraudaui, aliquando tandem indul-
gere. quod me ita demum ex animi mei sententia facturum
confido, si tu nobis quām libenter coēnas facere soles, tam
diligenter etiam lauteq; cubile instruas. Sed hæc corām li-
berius, liceat modo istò uenire. Vale. Ex urbe Patauio, v.
Calend. Octobr.

CHRIST. LONG. HIERONYMO

FVN DVLO S.

Quod nihil ad te iā diu scribo, caue id aut obliuione
tui fieri putas, qui mihi hæres in medullis: aut con-
temptu, quem uirum esse bonum & doctum semper iudi-
caui: sed uel certa mea pigritia, quam in hoc ocio contra-
xi: uel nimia inter nos familiaritate, qua me plus quām mi-
hi per te quidē liceret, usum perspicio: uel certe quōd eius
generis tuæ sunt literæ, ut nullum mihi epistolæ argumen-
tum suppeditent. E quidem eo sum ingenio, ut non temere
literis utar, nisi quid eiusmodi mihi occurrat, quod aut
mea aut ipsius ad quem mitto, scribi intersit. Itaq; cum de
pueri mei discessu certiore me fecisses, statim quidem re-
scripsi; ad cæteras tuas nō item, quōd nullam mihi rescri-
bendi

bendi materiā aut sententiam attulissent, neq; uero in rebus meis quicquam esset noui. Atq; tuas equidē lego libenterissime: sed me plane pudet, meas ad te inanes remittere, præsertim plebeijs et quotidianis uerbis contextas. Sic tamen quod minus amice à me factum quereris, id mihi abs te amice ignosci uelim. Non committam posthac ut in hoc genere officium meū desideres: Tu modo da operā, ut qd' scribā semper à uobis habeā. Hinc enim nihil expectes, qd' sit aut scriptione aut lectione magnopere dignum. Vale.

CHRIST. LONG. G. BVDAEO S.

Quām sis occupatus, et si tu nihil ea de re ad me scripsisses, id tamē profecto uel tuarū literarum breuitas, uel locus ipse unde illa mitteres, muhi satis significasset. Memini enim quām multis mecum sis agere solitus, si quando ociosus ex Marliano tuo aut etiā Parisiorū Lutetia ad me scriberes. Itaq; uelim ipse quidem occupationū tuarum rationē habere: sed nondū muhi plane iudicatū est, gratuler' ne tibi genus istud uitæ, an artiū potius nostrorum, studiosorūq; uicē doleam. Eodē enim tēpore, & tibi præclarū esse video, singularē istam tuā tum uirtutē, tū doctrinā non iā latere in tenebris, sed illustri & excelsō loco sitam in luce Galliarū ac regni clariſſimi oculis auribusq; uersari: & literis nostris multum præsidij ornamētiq; detrahi, cum te ab ijs auersum ad gerendā rem p. traduci intelligo. Poteris tu quidem, qua es apud principem tuū uel autoritate uel gratia, doctos aliquot & literatos homines subornare: studia nostra, quæ per te illustratum iri sperabamus, non item certe tueri poteris. Sed quando nec quidam potissimum secutus, regiā fortunam literarū conscientiæ prætuleris, nec quid istic muneris sustineas, nec quādiu in regio comitatu sis futurus adhuc scio: erit hæc nobis

alterius epistolæ argumentū disputatio. Facere tamen non possum quin gaudeam, te talem uirum à tāto Rege in amicorum cohortē esse accersitum. Spero enim uel cōfido potius te, qui cum natura ipsa sis prudētissimus, tum etiā doctrina multa atq; optimarum artium sciētia egregie eruditus, & liberis tuis consulturum, & dignitatem tuam apud istum obtenturū esse. Nam de animi tranquillitate atq; illo cui à pueritia assueuisti ocio, nihil facile ausim affirmare, nisi forte per principem ipsum artē tibi desinere aliquando licebit. Enim uero, si bene te cognitum habeo, non sanè possis etiam ut uelis, sine literis uiuere: quarum cum nobis uberrimos fructus proferre cœpisses. Sed tum demum ad te de meo sensu perscribam, cū tu me hoc de genere toto, & istius tui instituti ratione certiorē feceris: nō equidem, ut ipse tibi consiliū dem, quo tu plane abundas, quo dq; tibi sapiētissime captum esse scio, sed quia mihi tum deniq; tecum esse omnino uideor, si aut literas tuas lego, aut aliquid ipse ad te scribo. Interea quod inter nos agi, & ex sentētia mea (ut spero) per te cōfici potest agam. Fr. Rubrius missus à Rege Francorū ad Venetos Legatus Principi suo cōcinnadas curauit tabulas, quibus uia istinc Byzantium usq; docte descripta, egregieq; depicta cōtinetur. id cō fecit, opinor, cōfilio, ut ille quē Græciæ Regem à Pont. Maximo appellatū esse cōtēdit, regionū illarū quasi cōspectu admonitus, Græciā sibi prouinciā aliquāto matrīus, quām id futurū speretur, decerneret. Res est quidē, ut uides, cum ad tātum bellum imperatori in primis necessaria, tū mehercule, ut audio, ctiam per se cognitu aspectuq; dignissima: sed multo tamē Principi iucūdior futura, si testimoniu iudicij tui accesserit. Quod quidē ille prospiciēs, neq; sane dubitās quātum mea causa uelles, egit meū per literas,

literas, ut se tibi eo potissimum nomine commendarem. Nec Venetij quisquam est Fr. Rubrio mihi amicior in Budæe, nec sane alius, qui me æque tueri et autoritate sua, siquid accidat, saluum in columemque præstare possit. Quare mihi gratissimum feceris, si in ea re homini ita cōmodaris, ut intelligat hanc cōmendationem magno sibi usui fuisse. Id autem facilime assequeris, si munus eius uerbis tuis ornaris, ipsique etiā aliquod uocis tuæ testimonium dederis. Hoc ut facias, non mea tantum causa, sed tua etiā, te uchemeter rogo. Summo enim splendore hominē, eundemque gratissimum, nec à studijs nostris abhorretem, et necessitudine tua dignissimum tibi nō multo tuo labore in perpetuum decuinxeris. Lazarus Bayfius, quē in isto conutatu frequētem iam esse scribis, is est quem tibi olim Græce cōmendabam: Adolescens nostrarum artium studio mihi tum quidem coniunctissimus, sed nunc ualde laetus qui grauetur ad me scribe re. Parum scilicet diuturno Aulæ usu profecit, qui diligentia urbanitatisque suæ inter eos homines sit oblitus, apud quos cæteri uel natura tardissimi, non impigri modo et humanissimi redduntur, sed nullo etiam maiore negocio ad assentationem nonnunquam erudiuntur. Atque id in ipso eo magis sum miratus, quod cum unā Romæ essemus, præclaras illas, quas tu in Asse tuo istiusmodi hominum generi descripti leges, ita probabat, ita te de ijs laudabat, ita nunquam de manibus ponere atque conterere, ut ad easrum omnino præscriptum istic uicturus uideretur. Ego certe eum præcepta illa tua iam explicare, atque ita exprimere arbitrabor, ut te, quo tum magistro utebatur, discipulum redderet. Extra iocum mihi Budæe, aut tu de rationibus eius ad me aliquid muttas oportet, aut facias quidem ut ipse quemadmodum rem suam gerat nobis significet.

p 5 Cum

Cum enim à te discessi, quem istic pluris faciam habeo plane neminem. Ille porro epistolarum tuarū nuper editus liber, quantū me diligis, uel potius quantū te à me scis obseruari, tantum queso cura, ut ad nos primo quoq; tempore perferatur. Cauē sumptui eam in rem parcas. Egō enim cū quicquid tabellario dari iussoris numerabo, tum uero etiā magnum abs te beneficium me accepisse iudicabo. Io. fratris tui filium atq; huius ipsius consobrinum Mauricium Buliodum, nō expectabo dum uel tu uel parentes eorū mihi commendent: diliguntur à me propter summam eorum humanitatem & obseruatiām. Budæus etiam quod earum literarum studiosus esse cōperit, quas tu maxime probas, hoc est, Græcarum, nec id ipsum tamē meo hortatu, aut ijs horis quas iuris prudentiæ studium suo sibi quasi iure uendicat, sed tum sua, mihi crede, spōte, tum eo tempore, cum cæteri feriātūr & cessant. Veritus est, credo, maximū et plane ingenui animi adolescēs, ne tu unus fuisse dicerere, qui nouum hoc decus in familiam tuā intulisses. in familiam autem: imò uero in ciuitatem, atq; adeo Galliam uniuersam. Nam quin primas omnium sentētia omnem in partem referas, nulli iam neq; integrum est, neq; dubium. Ambos igitur omni ratione hic tueor, & si quid opus erit, corū quoque tenuitatem facultatum mearum angustia sustentabo. Hoc te iccirco latere nolui, ut parentes eorū per te sciant, me benevolentiam memoriamq; quam ipsis debedo, liberis eorum præstare. Volo enim mihi Budæe, si quis aliis, & esse & haberi gratissimus. Vale. Ex urbe Patauio, No. Decēb.

CHRIST. LONG. ANT. MARCILIO S.

Instituerā Feralibus ad te scribere, cū mihi in mentē statim uenit, eū diem etiā maioribus nostris religiosum fuisse, quāquam mēhercule, ne tū quidē quod scriberē occurret, bat,

bat, nisi te mihi esse charissimum. quod te, uel tacente me, certò scire nō dubito. Scribebam tamen, idq; eadē omnino qua etiam nunc de causa, ut uel in eo quod tibi istinc proficiens sum pollicitus, fidem meam liberarem: sum autē pollicitus simulatq; Patauium appulisse, me aliquid literarū ad te daturum. Vel te quoq; ad exolutionē promissorum, quibus te mihi obstrinxisti cohortarer: non quo de constanza tua dubitem (scio enim te hominē esse certissimum) sed quia incredibili cupiditate ardeo eiusce rei, quam tu mihi & tantopere cōmendasti, & te ex animi nostri sentētia cōfектurum affirmasti. Venies igitur ad constitutum, neque prius tamen quām mandata nostra istic diligenter curaris, imo uero quod agis perficeris. perficies autem, si cū quanti te faciam memineris, tum uero tantum in eo industrie, quātum mihi corām recepisti, posueris. quod ut facias, nō es tu mihi quidem uehemēter rogandus, qui te omnia mea causa & uelle & cupere exploratum habeo. Illud tamē tibi uelim persuadeas, si te mihi in eo morem gesisse intelle xero, te inde nihil minorem quām ipsum me uoluptatem esse capturū. Omnino si officia in me tua cumulo isto auxeris, et me plane bearis, et hoīem gratissimum tibi deuinixeris. Cura ut ualeas: nos enim ita ut cū maxime et ualemus et in studia nostra incūbimus. Ex urbe Patauio, 1111. No. Nou.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMOALDO S.

ET si statueram nihil ad te literarum dare, nisi tu mihi Epistolæ argumentum aliquod ipse præbuisses, tamen cum ad Ant. Marcilium, hominem utriusque nostrum studiosissimum scribebam, putavi aliquid etiam ad te literarum esse dandum, ne si nihil tibi misisset, pluris à me institutam nuper cum eo amicitiam fieri existimares, quām tuam: haud ita multis annis quidem illam, sed innume-

rabilibus certe tuis erga me officijs confirmatam. Ita que breuitati mearum literarum ignoscet, & si pleniores elicere uoles, scripto me aliquo lacestes. sum enim eo ingenio, ut ipse multo libetius faciliusq; rescribam, quam alios appellem. quod quidē & istic & per literas me tibi testari memini. Saluta meis uerbis Io. Maclinensem gemmarium, atq; ut signatorium annulum, quem ei faciendū locauit, quam primum mihi curet, commonefacito. Vale.

CHRIST. LONG. BEMBO S.

IAm pridem nihil scribo, quod multo audiūs nummorū aliquid istinc expectem, quam uos ullas hinc literas. sed quando desideriū tui diutius ferre non possum, quod quidem mihi tū deniq; lenire videor, cum ad te scribo : nec tu quicquam tam lōgo interuallo ad me: ego scilicet ad te aliquid mittam. Fui Venetijs dics amplius quindecim, quos ipsos partim cum Octauiano Grimoaldo in urbe, partim cū Andrea Nauagerio nostro Murani summa cū uoluptate traduxi. Huius in suburbano, cum hortus ipse grato nobis spectaculo fuit, ita demēsus et descriptus, ut omnes tum pomarij, tū seminarij arborū ordines in quincūcem dirigātur, & exquisitissimo ambulationū topiario opere latera eius decumaniq; limitis cameræ cōuestiātur: tum uero oēm expectationē meā uicerūt mali aſyriæ plurimæ, suis quæq; interuallis discretæ, et in certū quoq; ordinē digestæ: quas eundē Nauagerium nostrū paucis ante mēsibus seuisse audiēbam, atq; incredibili quadā celeritate solertiaq; ad frugem perduxisse, fructu mehercule lētiſſimo: etenim cuius aspectu nihil sit pulchrius, odore suauius, gustatu iucundius, uarietate autē atq; magnitudine admirabilius. Deletatur enim etiam agricolarum uoluptatibus, sed his honestioribus: & qua diligētia artes nostras colit, eadem profecto

Eto

Et cum horto suo rationem habet. Sed ut ad coiunctiora nobis ueniam, scito ut primum Patauium ueni, per spexit me, quatum uel gratia uel autoritate apud Marinū Georgium ualeres. Accersuit enim ille me statim honorificetis sime, opesq; suas in tuenda uel salute uel dignitate nostra omnis mihi pollicitus est liberalissime. facturū puto, nā de te mirifice et sentit et loquitur, neq; à studijs institutisq; nostris tam abhorret quam uulgo hominū opinione existi matur. Amoris erga me sui argumēta nō obscura cum iam dederit, tū certe ab intimis et necessarijs eius ita obseruor, ut et me amari putē, et ipsius merito hic tibi gratias oīno acturus fuerim, nisi omnē ex nostra neceſſitudine gratiarū actionem sublatā esse uoluisses. Velim tamē illū certiore facias, cū mihi officiū suū fuisse gratissimum, tū me etiā sibi gratias apud te egisse diligētissime. Atq; ne tu quicquam rerū mearū ignores, eadem hic nūc est uitæ ocij nostri ratio, quæ æstate proxima fuit: nisi quodd aliquot noctis horas assumimus, ac per anni quidē tempus iam et liberalius exercemur, et in studia nostra acrius incubimus, quæ quidem studia, quo etiam alacrius tueri possumus, da (quæſo) operam ut pecunia nobis curetur, aut certe ut intelligam, quare ad eam Flauius nondum peruenire potuerit. Iam quartam hanc epistolam ad te do, cum tu adhuc ne schedulam quidem, quinta si te oppresserit, nā mihi longi temporis usuram longiore epistola dependes. Vale. Ex urbe Patauio, Calend. Decembr.

CHRIST. LONG. BERNARD.

SANDRO S.

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. Pluribus uerbis tecum agam, cum plus ocij nactus fuero. Nunc Nicolao tuo satisfacio, qui mihi literas tuas hodie reddidit. Is enim simul

simul atq; nobis opera sua nihil iam esse opus intellexit, istuc se statim recipere uelle ostendit, cum in ipsum plane studiorum meorum cursum incidisset, quē quidem ut scribundis literis interpellarem nulla unquam ratione adduci potui. Nam si nescis, ita ocij mei rationē institui, ut septimo quoq; demū die ex arā dis dictandis ue epistolis Latinis uacē, reliquum tempus omne, Grecis et grauioribus literis consumā. Itaq; epistolæ nostræ breuitatē ne sis admiratus, multo uero minus inelegātiā: quādo neq; accurate scripta est, et plebeio sermone tecū agimus. Quare autē Nicolaus cōmēdatione tua apud me uti nō potuerit, ex ipso cognoscet. Reliquū est cum ut salutē meis uerbis referas plurimā & Fr. Bragadeno, et cæteris cōmunitib⁹ amicis, tū uero ut has statim ab earū lectione cōscindas, aut certe ne cōmitas, ut à quoquam legi possint, qui de ingenio doctrinaq; studiosorū ex unius alicuius epistolæ lectiuncula pronuntiare soleāt. difficile est loqui, & iam suspicari potes quos significē. Vale. Ex urbe Patauio, Non. Nou. Inscribēde epistolæ, qua tu ad me usus es, mihi quidem non satis probatur ratio, etiā si ea Alcyonium nostrum persepe usum esse exploratum habeo. Sed hæc corām.

CHRIST. LONG. LAELIO

MAXIMO S.

FEcerūt P. Bembi literæ, quo minus te mei prorsus oblitum esse existimarem. Salutē enim mihi tuis uerbis attulerunt. Tu'nc uero, qui usq; in ultimam Britanniam, anno superiore literas ad me sēpe dabas, iam grauaris aliquid mihi mittere: idq; cum ego Venetijs iterum diligenterq; ad te scripserim, & nunc in ipsis penè incunabulis tuis uiuā: Evidem postquam in Italia redij, nihil à te, uel etiā de te, preterquam ex P. Bembi, & Hier. Alexandrini līte

literis accepi. Quod si nostri obliuione commissum est, cu= rabo ut prius istuc aduolem quām totus tibi excido. Sin te scribendi argumentum aliud deficit, persequere res urba= nas, non illas quidem quae ad Pont. Maximum, aut pontifi ejus Senatus aliquem pertineant (multorū enim literis, nū= tijs, rumore deniq; ipso ea nobis haud obscure nuntiantur quotidie) sed plane ciuium Rom. & eorum qui docti istic numerētur, actiones perscribe. Nec enim nescis quām sim curiosus, quāq; omnibus peregrinatibus iucūdum sit, etiā minima, quae domi gerātur, cognoscere. Ante mēses quin= que legit mihi quidem binas tuas ad se literas Hier. Alexā drinus, Græcas alteras, alteras Latinas : in quibus cū alia de rerū tuarum statu diligentissime scriberes, tū tibi duas à me Venetijs redditas esse epistolas significares. Verū id ad me scribi oportuit, cuius maxime intererat de rebus no= stris abs te certiore fieri, tum præsertim cum Marianus Castellanus mihi diplomata illa quibus in ciuitatem ascisse bar, mitteret. Sed plane ad inimicos olim nostros, nunc meos defecisti, ac prodita causa, quā tanta contentionē ege= ras, ex patrono factus es accusatorum subscriptor. quod cū alijs indicij multis facile perspicio, tum uero quod adhuc tam pertinaciter taceas, & delatoris nostri mortem lacry= mis carmineq; tuo adornaris. Sed iam satis iocati sumus. Illud serio uehementerq; à te peto, facias sciam, quid istic rerū agatur, quam tu rationem uitæ tuæ institueris, quod sanè sine summa sollicitudine nescire non possum. Nam de me ex P. Bembo cognosces, qui cum sensus meos tenet o= mnes, tum à me de rebus meis quām səpiissime fit certior, de te uero, quem hic rogem, habeo plane neminem. Saluta mihi Corytium, cui quod quidem potui in hac defensionū mearū editione testimoniu dedi. Vale, & me, ut facis, ama.

CHRI

CHRIST. LONG. FLAVIO
CHRY SOLINO S.

SAlutem mihi hodie tuis uerbis Fr. Capolistius dixit: si-
mul & quam multi, quamq; illustres de me sermones
summa mea cum laude abs te istic habiti essent cōmemora-
uit. Id ego enim cū summe nobis esse uoluptati ostēdissem,
neq; tamen aut nouum tibi, aut inexpectatum mihi esse si-
gnificassem, ut tu de me amantiissime uel sentires uel hono-
rificētissime loquerere, egit idem mecum ut sibi officij sui
testimonii aliquod apud te darē. Qua quidem in re quan-
do ei morem à nobis gestum esse uides, uelim contrā illum
scire ex te, me id diligenter fecisse. Nam ad existimationē
nostrā magnopere pertinere arbitror, ut homines me uel
minimus in rebus & memorem esse ex gratum intelligent.
Quod ut facias, te uehementer etiā atq; etiam rogo. Vale.
Patauij. Non. Febr.

CHRIST. LONG. FL. CHRY-
SOLINO S.

VEllem & que facile ex meis literis, quanti apud me sis
perspicere posses, atq; ego ex tuis quam me ualde a-
mares cognoui. cōplete rere, quod ipse quidem de te feci,
absentem animo: hanc uero epistolam etiam exoscularere.
Nec enim eo es ingenio, ut aut in amore te uinci uelis, aut
quādo amicum corām non potes, animū certe eius cogita-
tione complecti nolis. E quidem exponere tibi nō possum,
quātum uoluptatis ex literarum tuarum lectione ceperim:
neq; id uero, ea sola de causa, quod supra omnē expecta-
tionē meā facet& elegātes q; mihi uis& sunt: quāquam tā fe-
lix in scribēdo industria, tuū erga me studiū uehemētius cō-
probauit: sed quod etiā illā morum tuorū suauitatē ita ex-
presserunt, ut mihi tecū esse & collocutionū tuarū huma-
nità

nitate præsens ipse frui plane uiderer: simul & quod in
mentem eodem tempore ueniebant innumerabilia tua in
me uel præsentem uel absentem officia: quoru[m] quid[em] me= 248
moria mihi adhuc tam iucunda est, quam ea ipsa cum ibi= 248
dem, tu Venetijs grata extitissent. At qui huius neq[ue] est lo= 248
ci neq[ue] temporis, quam ipse de me bene sis meritus come= 248
morare tantum habeto, nullas mihi istinc redditas esse lite= 248
ras, neq[ue] gratiores tuis, neq[ue] iucundiores: in quibus cu[m] cessa= 248
tione tuam apud me tam multis excusas, perinde sane fa= 248
cis, ac si te mihi eo religiose purgares, quod mihi gratias 248
tum non egisses, cu[m] ego abs te beneficiu[m] accipiebam. E qui= 248
dem nisi mihi perspecta esset animi tui singularis cu[m] sim= 248
plicitas, tum moderatio, putarem me abs te huiusmodi ex= 248
cusatione accusari negligentiae, quasi ipse officio functus 248
non essem, qui nullu[m] prorsus grati animi argumetu[m] tibi 248
adhuc præbuisssem. quod ipsum, quominus adhuc per lite= 248
ras præstiterim, id quidem causæ fuit, quod cum occupa= 248
tionibus tuis libenter fauebam, tum amicitia nostra indi= 248
gnum esse duceb[am] ut tu pro opera, à me uerba acciperes. 248
Tācti amicitia nostra, paucis, ut tu quidem scribis, mensi= 248
bus istic instituta, sed mehercule & multis tuis in me be= 248
neficijs & incredibili meo erga te amore cōfirmata, facile 248
pati pos[et]it, apud alteru[m] plus officij residere, modo ne alter 248
neq[ue] tuenda amicitiae uoluntate, neq[ue] accepti beneficij me= 248
moria uincatur: quorum sane neuturum ut in me desidcre 248
tur, perficiam. Quod autē mihi de defensionu[m] nostraru[m] li= 248
bro gratularis, facis id tu quidē amice, & ego mehercule 248
ipse mihi plurimū eo nomine gaudeo: sed nō propter eam 248
facile, quam tu fortasse suspicaris, causam, quod doctorum 248
hominum iudicio plurimum oratione tum elegantiae, tum 248
dignitatis præ se ferat: id enim ipse mihi uix persuadeo,

q

quando

quando ne mīhi quidē in eis satisfacio, qui tamen scripta
mea aspernari non soleo: sed quod eius libri editione par-
tim certorum hominū improbitatē fregimus, partim exula-
ceratos multorū animos sanauimus, partim bonos & do-
ctos omneis ad causam adiunximus, atq; adeo, uti ait, no-
bis deuinximus. Quod si ita est, est quod ipse mīhi plane
gratuler, nec minoris tanta talium uirorū studia quam Ro-
manā ipsam ciuitatē faciā: qua quidem quo me nō esse in-
dignū demonstrarē, illas ipsas defensiones plane conscri-
pserā. Donati sunt quidem alijs ciuitate multi: qui uero tan-
to honorū omniū consensu, tanto doctōrū hominum iudi-
cio, ea dignus habitus sit, alterū non sanc reperies. Atqui
hoc in genere, ea mea causa est, ut quid ipse sentiam, libe-
re exponere nō possem. Quare quod ad te attinet, illud ti-
bi persuadeas uelim atq; existimes, habere te fortasse mul-
tos aut beneficiorū magnitudine, aut assiduitate, aut uetu-
state tecū cōiunctiores quam me: studio, benevolentia, a-
more neminem: idq; non tam propter tuas, quas ad me tum
humanissime, tū honorificētissime scripsisti literas, quam
quod plane ingratus sim & mei dissimilimus, nisi te mea
spōte amē plurimū: qui cū me semper fecisti plurimi, tum
nihil ad excolendam confirmandamq; amicitiam nostram
reliquisti. Cura ut ualeas. Patauij, pridie Idus Iul.

CHRIST. LONGOL. IAC.

SADOLETO S.

Missurus tibi Gul. Budæi epistolam, facere non pos-
sum quin ipse quoq; idem aliquid ad te literarum:
quaquam quod scribam non satis occurrit, nisi hic tibi for-
tasse uis tua in me beneficia ut commemorem. Atqui huius
commemorationis te, ut puto, iam cepit satietas: me quidē
iam pudet, in ea toties habenda gratia elaborasse, quā ne
cogi

cogitatione quidem ulla consequi possum. Simul & illud uereor, ne hoc tibi nomine in assentationis suspitionē ue-
niam, quasi frequens hæc tuoru erga me meritorum præ-
dicatio, non officio, sed tempori tribuatur. Non cōmemo-
rem: quid igitur scribam: aut qua me tibi nūc quidem uia
memorem gratumq; ostendam: Sic scilicet faciā: post hac
tum deniq; scribam, siquid erit, cuius te certiorem per me
fieri oporteat. Nam quin tibi studium, benevolentiam, ob-
seruantiam quam debo uel absens præstem, te non dubi-
tare certo scio. Scribo equidem ad nonnullos istic, etiam
cum nihil est opus, sed ad eos omnino quibuscum mihi aut
domestici usus, aut familiaritatis aliquid intercedit. Te
ista grauitate, dignitate, doctrina uirum, istis occupatio-
num quasi fluctibus obrutū hominem crebrioribus literis
interpellare non audeo. Tu modo fac me ames & ualeas:
nos enim ita ut maxime tum te amamus & obseruamus,
tum uero ualemus & literis nostris utimur, eo etiam sa-
ne consilio, ut tibi otij nostri rationem per otium aliquan-
do reddamus.

CHRIST. LONGOL. PETRO

BEMBO S.

Quod superioribus literis futurum prædixeram, id
nunc scilicet accedit: quinta te iam epistola oppres-
sit, nec tu literā adhuc, aut omnino nummum. Atqui ad te
scribendi nuper mihi in eo prora (ut aiunt) & puppis
fuit, ut aliquid uel literarum elicerem, uel pecuniæ expri-
merem. Nunc quando utrūq; adhuc desidero, quo hic me
tandem animo esse censes? præsertim qui neq; utrū literas
meas acceperis, neq; de pēsione Calend. Nouemb. quid a-
ctum sit sciam. Verum postremū hoc leuius ferendū, illud
mihi nulla ratione diſimulandum, quòd hac tua scribēdi

q 2

intermiss

intermissione de salute tua sollicitus esse cœpi. quæ quidem salus qua mihi pecunia nō antiquior; Vale; & si me amas, cura ut me Flavius quemadmodū tecū agatur, primo quoque tēpore faciat certiorē. Rescripsit iam tandem Budæus ad collegæ tui literas, eius epistolam ad te mitto : fac ut ea Sadoleto nostro quām primum reddatur. Salutē Colæ nostro. Lazarus Bonamicus, quo Steph. Saulius tum in Latinis, tū in Græcis literis uno utebatur, migravit Bononiā: studiorū ne causa, quod quidem ipse affirmat : an uero ut Laurentij Campegi liberos instituat, nondum plane exploratum habeo. Hic mihi tu uelim memineris eorum quæ ad te x v i. Cal. Octob. scripsi: non quo quicquam timeā: cōfirmasti enim tu me, & plane sum cū animo magno, tū etiam spe bona, præsertim cū firmissima domesticorū nostrorū benevolentia muniti simus: sed ut me id nō temere tum scripssisse cognoscas. Illud itē fac cogites, annum quidem iam fere esse, cū monitis tuis atq; præceptis adductus, earū literarū studiosus esse cœpi, quas tu maxime probas: sed me quid profecerim omnino nescire. hunc labore alteri delegare non possis. Itaq; longiores tuas expectabo, uel exigā potius, cū te ualere & uacare intellexero. Iterum uale. Obsignabā epistolam hanc, cum mihi à fratre tuo redundunt eodem tempore & literæ et sefteriorum numerū circiter duo millia: quæ me plane recrearūt, ac rationes meas istic abs te diligenter explicari ostenderunt.

DECIMO LEONI PONT. MAX.

PRINCIPIQVE ROM.

ET si apud me dubium nunquam fuit Pr. optime, quin pro tua in omneis quidem mortaleis illa, sed mihi priuatis etiam perspecta humanitate, munus isthuc nostrum qualecūq; esset boni consuleres: putauit tamen mearum esse partium

partium, nō id quidem uerbis exornare : quod si facerent, nihil ab re fortasse facerē: sed in eo cōsiliū mei rationes tibi bruciiter exponere, ne quis me uel facilitate tua ambitiose abusum, uel nullā omnino officij mei rationē duxisse existimaret. Ego Pr. optime, ut primum Gallicos hosce canes duos nactus sum, omnium quos unquā mihi uidere contigisset cum eximijs corporis uiribus præstantissimos, tum singulari in dominū amore fideq; admirabileis, tū uero uenandi usu exercitatissimos: rem statim omnino esse existimauī, nō priuata modo conditione maiorem, sed quæ etiā eum maxime deceret principem, qui tanto cæteris dignitate hominibus præstaret, quanto hi reliquas sui generis animantes & decora corporis specie, et generosi spiritus uirtute anteirent. Neq; uero illud me deterruit, quod rcs parum digna tanto principe uideri poterat. Legerā enim Indiam petenti Alexandro, ab Albaniæ rege canē unum, inusitatæ quidem magnitudinis illum, sed unum tamen, & in quo præter uel segnē immanis corporis molem, uel insigne robur nihil facile mirarere, dono missum, nec minus liberaliter, quasi dignum quod ab rege ad regem tam longe mitteretur munus, acceptū: cū in ijs quos ad te mittere, nō corpus tantū ad ualentissimas quasuis prosternendas bestias ualidum spectaretur, sed agilitas etiam ad eas omneis quæ uelo citate cōficiendas egregia. Sed nec certe ineptiarū crimen extimui, tanquam Pontificiæ dignitatis rationem in eo parum haberem. Ego enim cum uenādi artem ab optimo quoq; & doctissimo ueterum in primis probatam, ceterisq; exercitationū generibus omnibus longe prælatum esse exploratum habeo : tum uero te nō tam quasi Pont. Max. quām ut principem Romanum, id est, regum omnium plane regē, nobilissimo honestimæ exercita-

q 3 tionis

tionis instrumento dignissimum iudicau. Idq; Christia-
nissimi Francorum Regis, à quo huc ad S. P.Q. Venetum
Legati missi sumus, exemplo feci: cui quidem etiam hac in
re me plurimum gratificatum iri certo scio. Nam is cum
nihil tua causa non uult, tum etiam te à suis ubiq; plurimi
fieri iubet & cupit. Quo sane etiam minus iam mirabere,
quid mihi in mentem uenerit, ut ego qui nec magna fami-
liaritate, nec ulla sane præclara fortuna apud te cōmēdor,
& regio te munere donare, & tā familiariter ad te scri-
bere sim aggressus. Donandi causa ea quam supra posui.
& quod Rex meus quæcūq; tibi uel grata uel iucūda esse
intelliguntur, ea non à se modo præstari omnia: uerūetiā
à suis studiosissime diligētissimeq; curari cupiat. Scribēdi
porro fidutiā attulit, primū cōiunctissima illa quæ ei tecū
intercedit ncessitudo: deinde uero etiam re mihi iā proba-
ta incredibilis illa tua humanitas, qua me ab eodem Rege,
atq; religiosissima eius uxore ad te olim legatum, istic ita
accepisti, ut ex eo tempore te non solū Pōtificatus, quo ap-
pellaris, nomine Maximū, sed etiā singulari et plane qua-
dā diuina bonitate optimū sc̄mper iudicarim: nihilq; anti-
quiū duxerim, quām ut quoquo intelligeres modo, me ti-
bi memoriā bencuolentiamq; quā debeo adhuc præstare.

CHRIST LONG. FLAMINIO

TOMAROTIO S.

Ivcundissimæ mihi tuæ literæ fuerunt, quæ & summam
tuæ erga me uoluntatis significationē haberent, et per-
belle scriptæ, spem mihi afferrent non dubiā, talem te ali-
quando fore, qualcm ego te uel ingenio uel diligentia tua
fretus, multis futurum prædicasse. In ijs, quod me rogas,
ad quem diē nos expectes: ego uero id, ut nunc quidē est,
constituere non queo: ita multis & magnis negotiorum
fluctibus

fructibus obruor, de quibus ad te aliquid scriberem, si eius
essent generis, ut literis recte committi possent. Siquid tamē
coniectura augurari licet, Nonis, aut certe ante diē tertium
Id. Apr. uobiscum ero. Tu uero, quod te in uia des hoc tē-
pore nihil est. Nam neq; religiosis hisce diebus satis hone-
sta sit cuiquam peregrinatio, neq; plane video, si ueneris,
quos ex consuetudine nostra percepturus sis fructus, qui
tantis occupationibus distincae, ut uix huic tantulæ cōscri-
bendæ epistolæ spatiū habuerim, sed nec certe quod tibi
mittere aliud occurrebat. Cū hæc maxime scriberem, ecce
tibi altera tua epistola. sed in eandem cum superiore ra-
tionem conscripta, nisi quod te uehementer mirari ait ni-
hil tibi literarum à me adhuc esse redditum. Eius autē rei
causam, ex ijs quæ paulo ante proposui, facile collegeris.
Vale. Venetijs, Palmaribus.

CHRIST. LONG. STEPH.

SAVLIO S.

Quod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidē
causa fuit, quod scribendi argumento desituerer,
quo plane abundabam: sed quia eius erant generis res,
que literis recte committi non possent, & ipse quotidie
uel potius in dies singulos me ad uos recipere cogitabam.
Nunc uero cum necdum à regijs negotijs sim plane ua-
cuus, & ea iam dies instet, quam hic omnino traducere
cōstitueram, uolui tibi consiliorū meorum rationē per li-
teras breuiter significare, ne tu me uel cessationis nomine
suspectū haberes, uel diutius etiā quām par esset istic expe-
ctares. De re tua nihil adhuc cōstitutū. Tantū enim nego-
tij regiae literæ & nobis et deceuiris exhibuerūt, ut priua-
torū postulationibus operā dare per hosce dies neutrīs ua-
carit. sed tamē, ut spero, res ex sentētia nostra conficietur,

q 4 non

non ulla quidē citerioris Galliae præfecti cōmendatione,
qua ille insulsa & plane Gallica est usus, sed & consilijs
nostris & ipsius causæ æquitate pugnabimus. Experie-
mur quidem certe omnia, ut antequā hinc proficisci amur,
tibi factū esse satis intelligas. Cogitabamus autē istuc aut
Non. aut circiter quartum diem Id. Apr. Interim uide, ac
mabo te, ut quoad in montibus Euganeis cōmorabere, ne-
quid absentia nostra rebus nostris detrimēti afferat. quod
quidem facilime cōsequere, relicto domi Antonio tuo: cu-
ius & fidem & amorem erga te singularem mihi perpe-
xisse multis in rebus sum uisus. Sed certe γλαῦκες ἔις ἀρχήν,
qui tibi consilium dem. Libellos, quos quasi itineris comi-
tes mecum detuleram, scito nulli nobis adhuc usui fuisse: sed
sarcietur tamē otiosis his diebus otij nostri iactura. Rem
nos eō perducturos speramus, quō te iam aduentare suspi-
camur. sic fiet, ut cum rediero, pari iugo in eadem studia
incumbamus. Vale. Venetijs, i x. Calend. Apr.

CHRISTOPHORVS LONGO-

LIVS P. BBMBO S.

Nunquam fore putaui, ut aliorum prius literis de ad-
uentu tuo quam abs te ipso fierē certior, quod tamen
quando præter opinionem meam cōmissum est, Venetias
te saluum uenisse immortaliter gaudeo. da modo operam,
si me amas, ut statim intelligam, hic ne te, & quando ex-
pectemus: an uero nos istuc aduolare, an in Fatauino tuo
tibi malis occurrere. Multa sunt quare tecum esse uelim
hoc tempore, sed illud potissimum rationes nostras con-
turbat, quod Saulius noster heri Genuam, pcrtristi,
neque tamen non uero, fraternæ ualetudinis nuntio ex-
citus, accurrit. Rediturum se quidem ille ad hyemem
proximam affirmauit. Sed hæc coram: liceat modo nobis
prop

propediem congregdi. Vale. Patauij, III. Non. Maij.

CHRIST. LONG. FLAMINIO

TOMAROTIO S.

Persuasi tandem Bembo nostro, ut me uobiscum esse
mallet, quām secū:cras igitur, ad summum perendie,
nos istuc uēturos speramus. Tu interim da operam nobis:
cubiculum ea quam tibi istinc discedens ostenderam, ra=
tione instructum ut sit. Interius conclavis uestibulum si
nondum illi faciendum curarint, admonebis eos meis uer
bis, id primo quoq; tempore uel statim potius, extruendū
ut locent. Res est nec multi negotij, nec otio nostro parū
idonea. Lectus ē regione uestibuli uelim collocetur. Plu
teum ad dextrū ingredientibus parietē statues. Bibliothe
cam inter fenestras duas medianam explicabis. Reliquā in=
testini operis supellectilem quām poteris aptissime totam
honestissimeq; dispositā uoles: quicquid in eo genere sum
ptus feceris, id ego tibi omne simulac uenero dissoluam.
Saluere uelim à me iubeas hospites meos, quibus etiam
puerum meum, dum absum, commendatum esse cupio.
Vale, Venetijs, Id. Maij.

CHRIST. LONG. ANTONIO

MARCILIO S.

Expectabam audiissime tuas multis de rebus literas, cū
mihi epistola tua redditā est, festiuitatis plena quidem
illa & urbanitatis, sed multo mihi iucundissima sane futu
ra, si quod sperabam ad me scripsisses, quemadmodum sa=
crum Martino diem, quo ueteres ctiam dolia relinebant,
traduxissetis. Scis enim condictum uobis fuisse constitu=
tumq; ut eo ipso die apud Egnatium nostrum, iniuriarū
iudices sederetis dicam an accumberetis? E quidē etsi non
dubito, quin aurifacem nostrum otiosum omnino reddide

q s ris

ris, iudiciumq; et conuiuium ipsum facetiarum tuarum
lepo're docte exhilararis: uelim ad me tamen de tota cœnæ
illius ratione diligenter perscribas, ut quo me, haud scio
quād laudabile, pertinax certe artium nostrarū studium,
spectaculo abduxit, id mihi suauissimæ tuæ literæ exhibeant. Scio quād tu unus omniū huic rei cōscribendæ sis
aptus: ego certe tantum me scire arbitrabor, quantum ex
tuis literis intellexero. Nā quòd te huc nostra causa uen-
turum scribis, est id mihi quidem in optatis, sed quando te
expectemus, fāc plane sciam: quanquam mi Marcili cha-
riſime cum hoc in genere toto, tum in cæteris huiusmodi
quidem rebus, ita mihi cōmodes uelim, si tibi ut id liben-
ter facias prius in animum induxeris. Sic enim amicis uti
soleo, ut tantum ab eis contendam, quantum eorum uel
fert dignitas, uel etiam patiuntur rationes. Quare si quod
te facturum ostendis, ueneris, nobis gratissimum feceris,
qui suauitate tua perfrui cupimus: Si non ueneris, & quo
id animo feremus: etenim qui tibi in primis consultum uo-
lumus: & alterum quidem te amori erga me tuo tribuisse,
alterum rebus tuis negare non potuisse iudicabo. Itaque
nec te pluribus, ad eam istic conficiendam rem, quam lite-
ræ tuæ abs te iam affeſſam esse significant, ipse cohorta-
bor. Scio enim eam tibi esse curæ: sed tamen urgebis opus,
mihiq; ad diem promissa repræsentabis. Quod si ut spero
& opto feceris, omnia me per te cōsecutū putabo. Quod
de Elephanto ascrispisti, planc nō probo. Indicum quidē
aut Afrum inedia et uerberibus domueris: iste uobis cum
multo uaſucco mitificandus est, tum etiam lorca potissi-
mum alendus: sed ita, ne studium illi uestrum in ludibrijs
ſuspitionem ueniat. Nec enim ignoras, tametsi omnium
terreſtrium animalium sit longe maximum, & glorie cu-
pidissimum

pidissimum elephas, quam tamen suspiciosus idem sit,
quamq; hominis animaduerso uestigio, statim subsistat,
circumpectet, iras proflet: nosti cetera. Vale. Ex urbe
Patauio, v i i . Calend. Decemb.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMOALDO S.

Maius atq; omnino aliud quam sperabam nactus es
ex literis meis epistolæ argumentum: qui cum uel
tuo more, breui respondere, uel me etiam autore tacere
potuisses (scis enim ita tibi mecum conuenire, ut tum de=
niq; si res coget) tamen uberrimas mihi literas remiseris,
sed non eius generis, quales abs te quidem expectassem.
Voluisti scilicet mihi morē gerere, & me scripto aliquo
tuo laccassere. Id si ita est, nō tu quidē expectatione tua fru=
stratus es: prouocasti enim me, sed ita mehercule quem=
admodum crabrones iritari solent. E quidem nisi maior=
rem facilitatis meæ quam calumniarum tuarum rationem
ducerem, fäcerem intelligeres quo cum tibi sit negotium,
qui me accusandi ansam inde tibi sumpseris, unde te no=
bis gratias egisse oportuit. At uide quam plane & Latine,
minimeq; astute tecum ago: ni quæ tu copiose quidem
& eleganter in me collegisti, ea ipse duobus uersiculis re=
futo omnia, causam haud dico, quare mihi hospitium sta=
tim non renuncies. Accusationis tuæ summa hæc est. Vi=
tuperandum esse me in amicitia tua, quod non aliter ad
te scripturus fuisse uidear, atq; siquid ad Ant. Marcilium
scripsisse. Hic igitur primum mihi memineris, quidnam
de scribendarum inter nos literarum ratione constitutum
habeamus: deinde illud tibi succurrat uelim, cū mihi opus
omnino non fuisse tum ad te scribere, tum uero me etiam
cum nihil esset quod darē, tamē ad te scripsisse. Ad Mar=
cilium,

27

cilium autem eò potissimum misisse, & quia id me factum
rum, ei fueram pollicitus, & quia omnino habebam, quod
illum scire mea plurimum intresset. His tibi causam meā
si non probauit, & quis certe iudicibus approbabō. Tu ue-
rò quī te excuses, qui me, quod officiosus erga te gratis
fuerim, accusare es ausus? Extra iocum mi Octauiane, cū
literas tuas legi libenter, tum ingenio tuo sum delectatus
mirifice. Tu quanquā admonitione non eges, qui me hor-
taris & eodem ipse uocas, tamen fac stylum exerceas, &
crebris me literis appelles. Ego enim cum ex ea re maxi-
mam uoluptatem cepero, tum te, quantum studiorum no-
strorum rationes ferent, hac in exercitatione continuero.
Saluta meis uerbis communes amicos, nominatim Bapti-
stam Egnatium, quem conscriptorum meorum ~~avōvā~~ esse
uoluerim, audiissime iudicium eius expecto: hortare homi-
nem ut me aliquando hac solitudine liberet, & per me
quidem opus totum una litura emendet: uix enim credas,
quām mihi iam parum in eo placeam. Assem tuum Satur-
nalibus ad assem tibi præstabo. Vale. Ex urbe Patauio,
VIII. Calend. Decemb.

CHRIST. LONG. ROGERIO
BARMAE S.

Nihil unquam minus futurum existimaui, quām ut ti-
bi aliquem hinc commendare necesse haberem, qui
cum istic essem, & tu omnia mea causa uelle uiderere, ta-
men id ut facerem nunquam adduci potui. Nunc etsi me
præter spēm de uetere illa mea sententia depulsum esse ui-
deo, facile tamē patior, nactum esse me tempus, in quo &
benevolentia erga me tua periculum tam longe gentium
faccrem, & quantum studijs nostris ingenijsq; adhuc fa-
ueres, experirer. Vidum Brelæum optimum & summæ
spei

spei adolescentem uehementer diligo. Nam me & Lute-
tiæ Parisiorum, cum primum forum attigi, obseruare cœ-
pit, & hic tam constanter semper coluit quam qui maxi-
me. Is cum patris literis, quasi ex summo studiorum suo-
rum cursu, domum reuocetur, intelligatq; se nondum eos
percepisse ex legitimis literis fructus, quos si ad metam
peruenisset, sese inde laturum sperarat, uellet sibi studiorū
tempus in uenientem quoq; annum prorogari. Id uero cū
se suis literis consequi posse diffideret, neque de patris sui
in te, atq; tua in me uoluntate dubitaret, egit mecum, ut ea
de re ad te quam diligētissime perscriberē. Nec ego hone-
stius quicquam à te petere mi Barma, nec tu illi hoc tem-
pore gratius possis facere. Conficiendi negotij spem nobis
afferūt, cum rei ipsius æquitas, tum uero summa tua apud
adolescētis parentē uel gratia, uel autoritas, quibus illum
facile cessurum esse confidimus. Neq; uero patri metuen-
dum est, ut idcirco tarda filiū decessio delectet, quod ad-
olescentibus omnia peregre solutiora sint quam domi. No-
scis enim hominis ingenium, ego studium & disciplinam:
quæ mihi sane eum eiusmodi uirū fore pollicētur, qui ue-
stris paucorū laudibus aliquando respondeat. Non soleo
temere quicquā de altero affirmare, præsertim adolescentē,
qui qualis futurus sit, præstari nō potest, sed si quo ta-
men sum in dignoscendis hominibus diligendisq; amicis
iudicio, spondeo uobis annū item unū additū patris desi-
derio, filij studio, alteri multorū annorum letitiam, alteri
sempiternā laudē esse allaturū. Quare quantū me amas,
uel te potius ipse scis à me obseruari, tantum enitere &
contende, ut à patre eius tertij quoque anni accessionem
impetremus. Hoc te uehementer etiam atque etiam rogo.
Vale. Ex urbe Patauio, Id. Ianuar.

Christ